

C V D

A T G G

1 6 1 1

Das Buch mit 2 Bänden
Seiten 2 gut R. 4299.

D. d. 5

00 per

Gez.
2 A. 93 X^{4/10}

2

W

Descriptio

POMPÆ FV-
NEBRIS HABITÆ RODT-
schildij in exequijs Serenissimi ac Poten-
tissimi Domini, D. FRIDERICI II. Daniae,
Norvegiæ, Gothorum, Wandalo-
rumq; Regis &c. unà cum Epita-
phijs nonnullis in obitum
ejusdem.

★
His Adjecta sunt

DESCRIPTIO SACELLI PROPE MONASTE-
rium Segebergense in memoriam perpetuam prænomina-
tæ Se-
reniſſ: Regiæ Majest: & emolumentum pauperum Segebergen-
ſium ab HENRICO RANZOVIO, Regio per Holsatiã &c.
Vicario proprijs expensis extructi, unà cum marmorum la-
pidumq; ejusdem inſcriptionibus ac Epigrammatibus
tam interioribus quàm exterioribus.

Nec non Epicedia quedam FRIDERICI RANZOVII
ac CATHARINÆ RANZOVIÆ dicti Regij Guberna-
toris liberorum.

HAMBURGI

Excudebat Jacobus Wolfius.

Anno M. D. XIIC.



FRIDERICVS II. DANIAE, NORVEGI
Æ, VANDALOR, GOTHORVMQ,
REX: DVX SLESVICI, HOL-
SATIAE, STORMARIAE, ET DIT-
HMARTIAE. COMES IN OLDENBURG,
ET DELMENHORST.



DESCRIPŦIO POMPAE FUN-
NEBRIS HABITÆ IN EXE-
quijs Sereniſſimi potentiſſimiq; Principis ac Do-
mini, D. Friderici. II. Daniæ, Norvegiæ,
Wandalorum Gothorumq; Regis, Schlef-
vici, Holfatiæ &c. Ducis, &c. in
qua exponitur:

PRimum, quibus cæremonijs Regi-
um funus in ſarcophagum impoſi-
tum ac Rodtſchildium ad deſtina-
tum ſepulturæ locum deductum.

Deinde, qua pompa exequialis honoris ac
celebritatis ſolennia ac juſta ibidem ſint per-
acta 5. Junij. hujus anni 1588.

Sereniſſimus Rex Daniæ hoc anno 1588.
4. Aprilis circa veſperam inter quartam &
quintam in Regia arce Anderſchouu ſita in
Selandia piè in Chriſto obdormivit. Quo
pacto autem paulò antè Regia Majeſtas, re-
bus omnibus, quæ ad morituros pertinent,
piè & ſanctè compositis, Sacramento cœnæ

A 2

Domi-

DESCRIPTIO POMPÆ FUNEBRIS.

Dominicæ provisa, in vera ac pia divini nominis invocatione firmâq; in Christum fide, placidè constantérq; vitam cum morte commutaverit, brevi per ejusdem confessoem in lucem emittetur, ut omnibus innotescat. Ipso die Paschatis Regium funus præstantissimo balsamo conditum, in sarcophagum positum, velamine ex serico villoso tectum, ac postea in atrio Regio supra pavimentum, atro panno substrato, constitutum est.

Sequenti 10. Aprilis idem funus Regium in præsentia præcipuorum Magnatum Daniæ, per nobiles quosdam Regiæ aulæ ministros ex atrio in ædis sacræ partem, quæ Chorus dicitur, deportatum ibidemq; depositum est.

Suggestus autem Chorusq; totus unâ cum fessionibus Magnatum ac pavimento undiquâq; atro panno obductus fuit.

Supra funus integumentum concavum in formâ tabernaculi similiter ex atro panno confectum, expansum fuit, circa quod cerei noctu diéq; ardentes 28. defixi fuerunt.

Funeri

DESCRIPTIO POMPÆ FUNEBRIS.

Funeri etiam Regio 4. nobiles aulici, 4. equites gregarij (quos *Einspenniger* vocant) & quatuor satellites sive Regij corporis stipatores, tam diurno, quàm nocturno tempore custodiae causa adhibiti fuerunt tantisper, donec id 24. Maij sequentibus solennitatibus inde sublatum, ac in oppidulum Ringstadium est deductum.

Præcesserunt funus omnes presbyteri, Ludimoderatores, clerici, ac scholastici præfecturæ Anderschoviensis prolixis atris vestibus in terram dependentibus induti, qui cantilenas funebres præcinuerunt.

Hos insecuti sunt 12. tubicines equis insidentes omnesq; panno atro vestiti, unà cum tympanista sive æneatore.

Post hos equitavit aulæ Marischallus cum omnibus nobilibus regiae aulæ ministris certo ordine dispositis, ita ut terni simul gregatim incederent. Primum ordinem tenuerunt Marischallus Stein Maltzen, D. Georgius, Comes in Gleichen, & D. Rudolphus Schenk
A 3 kius

DESCRIPTIO POMPÆ FUNEBRIS.

kius Baro de Tutenberg, & fuerunt horum ordines circiter 18. omnes veste lugubri ac palliis longis induti.

Hos secuti sunt 30. scholastici 30. candelas sive faces funestas præferentes etiam pulati.

Hos comitati sunt duo Regij Heroldi sive patres patrati consueto habitu ornati, duos atros baculos manu gestantes, quorum equi etiam nigro panno fuerunt velati.

Deinde Regij stabuli præfect⁹ Eustachius de Tuenen cum reliquis servis ac pueris Regijs, quorum aliquot ordines fuerunt.

Postea duo cubicularij.

Proximè præcesserunt funus Georgius Ernestus Worm Regiæ Majestatis cubicularius. Christophorus Cariotus pocillator, & Cajus Rantzovius Henrici Regij vicarij filius.

Tandem processit Regium funus.

Quod primum (ut antea dictum est) pretiosissimo balsamo inunctum in arca lignea
com-

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

compositum fuit; deinde arca illa in sarco-
phagum stanneum collocata; Demum tertio
ligna sandapila inclusum est. Integrum au-
tem funus atro serici villosi velamine inte-
ctum fuit, utrinq; claviculis inauratis affixis.
In superiori parte funeris fuit crux argentea
effigiem servatoris nostri repræsentans inau-
rata, sub cuius brachijs utrinq; duo Cherubin,
sive angeli extiterunt, sub quibus in uno late-
re Regij rhythmici radiarunt: Spes mea in solo
Deo. Item: Fides est caro ferina; Germanicè
Trew ist Wildtbredt. In altera latere ex adver-
so dictum sequens ex Apocal: consolatione
plenum; Beati mortui, qui in Domino mo-
riuntur, dicit spiritus, etiam ut requiescant à
laboribus suis. Opera enim eorum sequentur
eos. Quæ omnia ex puro argento inaurato
confecta fuere. Sub cruce fulserunt insignia
Regia ex puro argento inaurata.

Sub quibus extitit longa lamina argentea
inaurata exprimens elegantibus literis majus-
culis Sereniss: Regis diem natalem, annos
A 4 regni

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

regni, nec non annum obitus, tam Latino, quàm Germanico idiomate, hisce verbis:

Hac tumba conditus est Sereniss: ac potentiss: Princeps D. Fridericus II. Norvegiæ, Vandalorum Gothorumq; Rex, Dux Slesvici, Holfatiæ, Stormariæ atq; Dithmarsia, Comes in Oldenburg & Delmenhorst: qui obiit Andvordskovij 4. Aprilis, Anno Domini 1588. cum ferè complevisset annos 54. & regnasset annos 29. cujus anima requiescat in pace.

Funus ipsum collocatum fuit in currū panno holoserico coopertum, in quo nituit crux serica vel bombycina, fuitq; hic currus vectus 8. equis ferali panno usq; in terram velatis.

Post funus equitavit Serenissimæ Regiæ aulæ præfectus Dethlevius Holckius cum duobus nobilibus Christophoro Rosengart & Doring Ramel:

Quos Regina curru vecta e vestigiò secuta est, equis etiam panno atro instrato ingredientibus.

Post

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

Post hos Regij liberi, tam Principiffæ,
quàm Principes juniores curru delati sunt.

Quos comitati 3. nobiles, Canutus Ruthe,
Preberenus Bilde, & Tagge Crabbe.

Tandem vecti sunt curru Electus Rex
Daniae Christianus, & Regiæ Majestatis suæ
frater Vdalricus, fueruntq; equi omnes pro
his curribus stragulis ex panno atro lugubri
cooperti.

Deinde subsequuti sunt ordine proceres
sive consiliarij regni. Post hos regij Gynæ-
cei nobiles matronæ & virgines.

Post eas præfecti ac subditi Regni medio-
cri numero. Fuerunt enim horum 22. or-
dines.

Deinde Primatum regni, nec non alio-
rum nobilium matronæ & virgines magno
numero.

Hunc mulierum comitatum sequuti sunt
Prætores rerum capitalium, sive Quæsito-
res & Regij equites, unà cum Consiliari-
orum ac subditorum regni ministris, quo-
rum

B

rum

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

rum numerus æquavit circiter mille equos.

Satellites utrunq; latus Regij funeris nec non Reginae & Electi Regis Daniae, inversis versus terram armis longis, indumentis lugubribus vestiti stiparunt. Eoq; die funus Regium per 4. miliaria versus Ringstadium delatum est. Propè oppidulum Ringstede Regio funeri obviam processerunt Presbyteri ac Scholastici monasterij Sorensis, qui hymnos exequiales præcinuerunt, funusq; ad monasterium deduxerunt, ubi ex curru per nobiles ad hanc rem ordinatos sublatum, ac in ædem sacram illatum, tandem adhibitis cæremonijs magnificis depositum est. Vbi iterum tabernaculum supra funus excitatum est, cereis 30. circumqua; appositis, ac ipsum denuo in custodiam aliquot nobilium & satellitum receptum.

Altero die in exportatione funeris pompa priori planè similis celebrata & 4. miliarium iter versus Rodtschildium continuatum est.

Prope

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

Prope Rodtschildium iterum Canonici, Vicarij, Presbyteri, Clerici, Ludimoderatores, & Scholaſtici ex proximis parœcijs, Provincijs, Selandia & Schandia Regio funeri obviam ſunt progreſſi cantilenas funebres decantantes.

Adfuit ibidem magnus numerus conſulum, ſenatorum & civium ex proximis civitatibus, qui à porta urbis Rodtschildienſis per non exiguum ſpaciũ lugubri veſte induti ordine aſtitere. Deducto itaq; funere Regio in civitatem ad Episcopalem curiam ab illis, quibus hoc negotij commiſſum fuit, in atrium quoddam undiquaq; pullato panno inſtratum deportatum, ibidemq; depositum eſt. Vbi iterum dicto integumento, 30. candelis cereis ſive funalibus collucentibus, cooperatum, ibidemq; cuſtodix, ut ſupra, uſq; ad 5. Junij comiſſum eſt.

Omnes etiam equites, tam Regni conſiliarij ac nobiles quàm reliquĩ ſervi ac pueri prolixis pallijs uſq; ad talos dependentibus.

B 2

Eque-

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

Equestris vero ordinis homines etiam pullis ex sindone peplis supra pallium defluentibus vestiti fuerunt.

Et volunt nonnulli vestimenta lugubria satellitibus, cantoribus, scholasticis, pauperibus data pannúmque atrum parietibus templorum & atriorum Regiorum affixum circiter 30000. thalerorum constitisse.

Sequitur nunc descriptio ceremoniaram ac solennitatum in exequijs Regij funeris habitarum.

Primùm omnes nobiles tam aulici quàm subditi Regij aliique ex questri genere nati, quibus hoc negocij demandatum fuit, præfinito exequijs die circa horam septimam in curia Episcopali convenerunt, qui campanis pulsatis Regium funus inde extulerunt.

Præcesserunt omnes Doctores, Professores, Canonici, Ministri verbi divini, nec non centum studiosi, qui Regio stipendio in Academia Hassniensi aluntur.

Hi convenientes Latinos Psalmos & canticiones præcinuerunt. Evesti-

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

Evestigiò ordine his Regiæ Majestatis
tympanistæ & tubicines successerunt.

Post hos Regius Marischallus cum tota
familia ibidem præsentium Principum nec non
cum aliorum legatorum ministris ac subditis
Regni, quotquot horum nullum munus ob-
eundum commissum fuit, numero ferè 400.

Horum vestigia calcarunt 40. studiosi
Haffnienses, ex eorū numero, quibus, ut an-
tea dictum est, studiorū gratia annua stipen-
dia conferuntur, cum 40. facibus pullatis, ha-
bitu lugubri.

Post hos 17. vexilla sive signa lento &
moderato gradu gestabantur, nec non post
singula vexilla equi atro panno circumdati,
in quorum latere utròq; insignia horum con-
specta fuere, ducebantur à nobilibus sequen-
tibus etiam lugubri habitu amictis.

*Vexillum sanguineum,
Die Blutfahne gestavit*

Mauritius Podebusch.

B 3

Equum

DESCRIPTIO POMPÆ FUNEBRIS.

Equum duxerunt

Nicolaus Schramme.

Johannes Rute.

*Vexillum, in quo insigne Oese-
liense, nempe aquila, fuit*

Henningus Goye.

Equum

Nicolaus Podebusch

Kield Jvel.

*Vexillum cum insigni Delmen-
horstico, quod est crux alba*

Nicolaus Freifs.

Equum

Hartovicus Höken.

Johannes Falster.

*Vexillum cum insigni Olden-
burgico, quod habet duas trabes
rubras in campo flavo*

Johannes Lindenovv.

Equum

Petrus Jvel

Kield Brockenhus.

Vexillum

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

*Vexillum cum insigni insulæ
Fimbriensis, quod est corona
flava in campo cæruleo*

Martinus Wensterman.

Equum

Christianus Guldenstern.

Melchior Vlfstandt.

*Vexillum cum insigni Ditmar-
sico, quod est eques insidens equo
candido, in rubro campo*

Canutus Grubbe.

Equum

Tenne Brusck

Holgerus Vlfstandt Gregerfen.

*Vexillum cum insigni Storma-
riensi, quod est cignus candidus
cum aureo monili in rubro cāpo*

Gerhardus Rantzovius præfectus arcis Cro-
nenburgæ Henrici Regij Vicarij filius.

Equum

Ericus Wénsterman

Ericus Lunge

Vexillum

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

*Vexillum Holsaticum, quod est
candidum urticae folium.*

Godschalcus Alefeldus hæres in Emekēdorff.

Equum

Elerus Brusche.

Georgius Quitzouu.

*Vexillum Slesvicense, quod ha-
bet duos flavos leones in campo
caeruleo*

Laurentius Brockenhaus præfectus arcis
Neuborch.

Equum

Ovenus Lunge Iversen.

Jacobus Krabbe.

*Vexillum Fslanicum, cuius in-
signe est albus piscis Fslanicus
coronatus in rubro campo*

Johannes Lange.

Equum

Benedictus Rantzoviensis Tunderensis.

Johannes Bernkovius.

*Vexillum Gotlandia, cuius in-
signe*

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

*signe est agnus gerens signum
cruciferum in campo rubro*

Axelius Brade.

Equum

Elerus Brockenhufs.

Giordt Peterfen.

*Vexillū Vandalicum, cuius in-
signe est, ut aliqui volunt, Draco*

Petrus Brahe.

Equum

Esche Brock.

Ericus Lange.

*Vexillum cum leone & novem
cordibus, quod insigne aliqui
Gothorum putant*

Christianus Muncke.

Equum

Christophorus Rosengardt,

Carolus Brusche.

*Vexillum cum tribus coronis,
quæ significant tria regna &
horum unionem*

C

Lodovi-

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

Lodovicus Muncke Ludouwig sen.

Equum

Magnus Goye Falck sen.

Iverus Muncke.

*Vexillum Norvegicum, cuius
insigne est Leo ascendens cum
bipenni, in rubro campo*

Antonius Fasse.

Equum

Nicolaus Peterfen.

Magnus Jvel Pallisen.

*Vexillum cum tribus leonibus
caeruleis in campo flavo, quod
regni Daniæ insigne est*

Ericus Walckendorff.

Equum

Johannes Spiegel.

Esche Bilde.

*Vexillum Regaliorum regni
Daniæ, in quo ejus insigne inte-
grè depictum fuit*

Georgius Bilde.

Equum

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

Equum

Petrus Retz *præfectus Anderschoviensis.*

Tagge Krabbe.

Secundum hæc Vexilla Regiæ Majestatis caballus Regius, totus pullo holoserico cum cruce alba coopertus, ductus est à Christophoro Backsch & Regij stabuli præfecto Eustachio de Tuenen. Hos consecrati duo Regij Heroldi regia insignia ferentes.

Deinde 4. primores sive senatores Regni Daniæ Regalia gestarunt.

D. Georgius Rosenkrantzius *heres in Rosenholm figuram orbis aurei.*

D. *Admiralius regni* Petrus Muncke *sceptrum.*

D. *Marischallus regni* Petrus Gùldenstern *gladium, & Cancellarius regni* Nicolaus Kaas *heres in Tarup Regiam coronam sive Diadema.*

Post hos Regium funus sub tabernaculo sive tentorio à sequentibus nobilib: ad primariã & dem sacram delatum est, quorum nomina hæc sunt:

Preberenus Guldēstern. Ovenus Lunge.

C 2

Hannibal

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

Hannibal Gulderstern. Godschalcus Budde.

Canutus Brahe. Henricus Lucke.

Khöne Quitzouu. Georgius Friefs.

Vdalricus Sandtberch. Jacobus Hoye.

Woldemarus Pars- Gabriel Spore.

Tüge Brahe. (berch. Lauge Vrne.

Olaus Rosenspar. Bieftrup Gidde.

Ogge Vgerup. Johannes Vrne.

Birge Rosenkrantz. Axelius Rosenkrätz.

Ericus Lange. Magnus Schuabe.

Georgius Vrne. Franciscus Rantzo-

Olaus Daa. vius Præfectus in Sitkenborch,

HENRICI vicarij filius.

Johannes Raftorp. Andreas Thodt.

Hermannus Juvel. Nicolaus Clambeck.

Henning⁹ Reventlovi⁹ Matthias Erichsen.

Nicolaus Hundertmarck.

Tentorium supra funus extulerunt

nobiles sequentes:

Nicolaus Pasberch. Georgi⁹ Ernest⁹ Worms.

Georgius Daa. Magnus Goye.

Canutus Ruthe Erich Preberenus Bilde.

Abfolon Jvele. (sen. Olaus Bilde.

In vtróq;

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

*In utrôq; latere regij funeris sequentium nobi-
lium quilibet magnum cereum arden-
tem gestavit.*

Burchard⁹ de Papēheim. Biorn Saxtrup.
Andreas Dresselborch. Euualdus Kruse.
Tonne Rosenkrantz. Jacobus Windt.
Guilhelm: Dresselborch Johannes Brockēhufs
Fridericus Hobe. Petrus Grubbe.
Ericus Bilde ^{Francisci} _{filius.} Jacobus Trolle.
Christiernus Holck. Esche Kraffe.
Christophorus Kraffe. Gabriel Kaafs.
Petrus Rute. Ericus Dresselborch.
Fridericus Quitzouu. Canutus Wenstermā
Magnus Guldenstern. Christianus Krabbe.
Holger⁹ Vlffstädt Jensen. Alexander Durham.
Nicolaus Schinckel. Henricus Goye ^{Eschel-} _{stein}
Martinus Schinckel. Erich Bilde Stensen.
Joachimus Leeft. Caspar⁹ Marckdane
Præfect⁹ in Coldingen.

Regium funus secuti sunt proxime

*Illustrissimus, illustrissimiq; generis Princeps
ac Dominus D. Christianus ejus nominis quar-*

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

*tus Dania, Norvegiaq; &c. electus Rex cum
avo suo materno Illustrissimo Principe ac Do-
mino, D. Vdalrico, Duce Megapolensi, Prin-
cipe Vandalico, Comite Suerinensi, Regionum
Rostock & Stargardt Domino &c.*

*Secundum ordinem tenuerunt Illustrissimi
Principes ac Domini, D. Vdalricus & D. Jo-
hannes, hæredes Norvegia, Duces Slesvici &
Holsatia &c. Sereniss: Regia Majestis Dania
relictæ filij, quorum alteri natu minori propter
ætatem teneram custodia causa adjunctus est D.
Rudolphus Schenck Baro in Tutenborch.*

*Post hos principes ordine in funus prodierunt
Principum Electorum aliorumq; Ducum ac Do-
minorum Legati amplissimi sequentes.*

*Primo ordine Illustris ac generosus D. Otto,
Comes in Solm, Abraham⁹ Bock hæres in Klip-
hausen, & Georgius Vicethumb de Eckstadt
hæres in KannenWurff, Principis Electoris
Saxonie Consiliarij ac Legati.*

*Secundo ordine Nicolaus de Wisch hæres
in Glassouu Ducis Holsatia Philippi &c. Le-
gatus*

DESCRIPTIO POMPÆ FUNEBRIS.

gatus & Joachimus de Ortzen Ducis Megapolensis Christophori Legatus.

Tertio ordine Vicke de Bülouu Ducis Meapolensis Johannis Legatus in medio progressus est. Dextrum latus clausit Johannes de Wisch, Præfect⁹ arcis Tunderensis, hæres in Olpeniz, Principis Holsatiæ Adolphi Illustrissimæ memoriæ relicta vidua Legatus. Sinistrum vero Casparus de Ortzen Ducis Megapolensis Johannis Legatus.

Quos Legatos ordine Senatores Regni Daniæ, nec non Regiæ Majestatis Daniæ in Ducatib⁹ Holsatiæ Vicarius, & consiliarij unâ cum Megapolensium principum Senatoribus secuti sunt.

I.

HENRICVS RANZOVIVS Regiæ Majestatis Daniæ in Ducatibus Slesvici, Holsatiæ & Dithmarsici Vicarius, Consiliarius ac Præfectus Segebergensis, hæres in Bredenborch in medio.

Ad dextram Jacobus Schefeldius Regni Senator processit.

Ad sinistram Warnerus Hane Megapolensis Consiliarius. Breido

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

II.

Breido Rantzovius regni senator, præfectus
Insulæ Langelant, & hæres in Rantzovis-
holm in medio.

Ad sinistram Petrus Rantzovius regius
Consiliarius ac præfectus Flensburgensis, hæres
in Woldenhorn & Trojeburg.

III.

Albertus Friefe senator regni Daniæ in medio.
Joachimus Passeuuitz ad dexteram.

Georgius Scheftede regius Consiliarius, hæ-
res in Nortsehe ad sinistram.

IIII.

Arnoldus Witfeldt regni Cancellari⁹ in medio.

Hans Blome Regius Holsaticus Consiliarius,
hæres in Schedorp ad dexteram.

Hans Rantzouu Regius Holsaticus Consilia-
rius & Præfectus Rendesburgensis ad sinistra.

V.

Henricus Ramelius electi Regis aulae ma-
gister in medio.

Henricus Alefeldius Regius Holsaticus
Con-

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

Consiliarius, hæres in Satropholm ad dextram.

*Detlevus Brocktorpius Regius Holsaticus
Consiliarius, hæres in Schreuenborn ad sini-
stram.*

VI.

*Benedictus Alefeldius Regius Holsaticus
Consiliarius & præfectus arcis Steinborch, hæ-
res in Leemkulen, in medio.*

*Nicolaus Alefeldius Re: Holsaticus Consi-
liarius, & præfectus arcis Snabstede: hæres in
Geltung ad dextram.*

*Christophorus Ranzovius Re: Hols: Con-
siliarius, hæres in Quernebeke ad sinistram.*

VII.

Casparus Baselick Reg: Secretari⁹ in medio.

*D. Vitus Vuinshemius Reg: Consilia: &
Decanus Hamburgensis ad dextram.*

*D. Jacobus Bordingus Regius Danicus &
Principis Megapolensis Consiliari⁹ ad sinistram.*

*Post hos lento graviq; incëssu processit Illustris:
Illustrissimiq; generis Principissa ac Domina
D. Sophia Danicæ, Norvegiæ &c. Regina, vi-*

D

dua

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

dua luctu ac mœrore prope confecta, quæ ducta fuit ab Illustrissimo Principe ac Domino D. Iohanne hærede Norvegiæ, Duce Slevici & Holsatiæ, Regiæ Majestatis illustriss: memoriæ D. fratre ad dextram:

Et D. Carolo, Duce Megapolensi ad sinistram, quæ omnium oculos in se convertit.

Reginã secuti sunt Regiæ Majestatis Illustriss: memoriæ filia ac Principissa, ex quibus Principissam Elifabetham Regni Thesaurarius Christophorus Walkendorp, & Stemus Brahen duxit.

Principissa Annæ, Mandrup Pasberch dextrum,

Ericus Hardenbergius sinistrum latus, uterq; regni senator cinxit.

Principissa Augustæ Hacke Vlffstandt dextrum:

Andreas Bing sinistrum, uterq; regni senator.

Principissa Hedwigæ Henricus Belovius dextrum, Axelius Gùldenstern sinistrum, uterq; regni senator.

Post

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

Post has Principissa Dorothea Illustriss: Ducis Holsatiæ filia, tanquam proxima agnata ingressa est Corfitzio Wefart, & Absolone Gloijen ductoribus.

Post has omnes tandem ducta est Illustriss: Principissa ac Da: D. Agnes Hedwigis, ex stemmate Principum Anbaldinorum prognata, D. Iohannis Ducis Slesvici & Holsatiæ conjux ab Illustri ac generoso D. Iohanne Vdalrico Comite in Mansfeldt, & D. Georgio Comite in Gleichen.

Post hanc utraq; aula magistra, cum virginib: utriusq; Gynæcei. Deinde has equestris ordinis nobiles matronæ ac virgines longo agmine sunt comitata, quorum numerus excessit 300.

Postremò Consules, Senatores ac cives, qui ex oppidis undiquaq; confluerant, longo ordine agmen clauserunt.

In eadem sacram ingrediendi, præter equestris ordinis homines, Academia Haffniensis Professores, Canonicos, Regios Cantores & ditos 40. studiosos, qui cereos funeri prætulerunt,

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

nulli permissa est facultas, Exceptis 4. Regni Senatoribus, qui Regalia portarunt. Horum enim unicuique, unicus tantummodo puer sive famulus huiusmodi servitio obeundo idoneus intronissus est.

Et ne templum nimia frequentia hominum impleretur, atque hoc modo funebria officia ad sepulturam necessaria impedirentur, per totum diem valvæ templi occlusæ fuerunt, tantisper, donec campana pulsaretur, Regiumque funus per unicum saltem ostium apertum inferretur, pro quo Regij satellites mox constituti sunt, qui reliquos omnes ingressu prohibuerunt.

Cum itaque Clerici ac viri docti, qui præcesserunt, templo appropinquassent, ministri verbi divini, Scholastici, centumque studiosi Hassnienses, de via deflexerunt, ac solummodo Professores, Canonici & Cantores, nec non illi, quorum in candelis ferendis usus fuit, ingressi sunt, & prope Chori aram peculiarem locum occuparunt, ne cui impedimento esse possent.

Similiter & Marischallus aulicus, aliisque nobilibus

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

bilibus significavit, ut se ad dextram templi partem reciperent, ut in area Regio funeri ac Principib: liber accessus pateret, manibusq; Regijs pia & extrema opera præstari commodè posset.

Cum itaq; tandem funus ad fores templi pervenisset, illi, qui gestandis vexillis, candelis, facibus & tabernaculo occupati fuerant, ingressi sunt.

Paulo post in pristinum quisq; locum se recepit. Cumq; Regium funus ad locum destinatum juxta aram inter sessiones sive cathedras Principum deportatum esset, id vexillis ac candelis cinxere, prout etiam tabernaculum supra funus extulere.

Nobiles viri, qui equos duxerant, tradiderunt eos ministris suis ad hanc rem deputatis, ac ipsimet ante funus Regium ordine decenter sunt ingressi, ut exequias funeris prosequerentur.

Quatuor dicti Senatores Regni ornamenta, vel Regalia ejusdem, debita cum Reverentia aræ imposuerunt.

Cum principes ipsi unà cum legatis templum

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

intrarunt, cui libet horum nec non & Regni Senatoribus, alijsq; equestris ordinis hominibus certus locus est assignatus, interim etiam reliqui Latinos Psalmos cecinerunt.

Post hæc Theologus quidam ex suggestu Latinam orationem recitavit, deinde iteratis Psalmis ac cantionibus Germanicis M. Christophorus Reg: concionator aulicus concionem funebrem Germanicè habuit.

Finita hac concione, denuò repetitæ sunt cantiones exequiales, ac mox Regium funus in locum destinatū, sive conditoriū majorum, comitantib: Electo Rege, Principibus alijsq; Legatis, delatum est. In quo Sacello Christiernus I. proavus, & Christianus III. pater Friderici Regis una cum conjugibus Christina videlicet ac Dorothea (quæ ambæ ex familia Saxonica natæ sunt, illa Ernesti Electoris Saxonie, hæc Magni filia Ducis inferioris Saxonie ac Uestphalie) resurrectionem ad vitam æternam expectant. Sepulti sunt præter hos in eadem Ecclesia Cathedrali in Choro Haraldus Rex Danie, Anglie ac Norvegie,

DESCRIPTIO POMPÆ FUNEBRIS.

gia, fundator ejusdem Ecclesie. Regina Dania
Margarita, quæ Estrith dicebatur, filia Ingonis
Regis Sueciæ; Sveno Rex Dania, Angliæ ac
Norvegiæ; Margarita filia Woldemari ulti-
mi, Regina Dania, Sueciæ, ac Norvegiæ, &
Episcopus Rodtschildensis Wilhelmus: qui
obijt anno 1074, quo etiam Sveno rex mortuus
est. Horum nonnullis regia monumenta erecta
sunt, inter quæ præcipuum est Christiani III.
ex alabastro & marmore, cujus in Germania vix
simile invenitur.

Quo peracto, candelæ sunt extinctæ, atq; unâ
cum vexillis ibidem depositæ.

Deinde electus Rex Dania, nec non Regina
vidua unâ cum alijs Principibus, Principissis,
Comitibus, Principum Legatis, Regni senatori-
bus, alijsq; consiliariis, ac equestri ordinis ho-
minibus ordine supra dicto in curiam Episcopa-
lem reversi sunt.

Ac Regina quidem cubiculo suo non ex-
cessit, at reliqui tamen Principes, Principumq;

Leg-

DESCRIPTIO POMPÆ FVNEBRIS.

*Legati apud Ducem Vldaricum epulo funebri
excepti sunt, posteróq; die iter unusquisq; ad suos
conuertit.*

Deus omnipotens ac misericors ab hac
Regia domo, ac Regno, hujusmodi tristes ca-
lamitates imposterum avertere, eámq; pro-
pter nomen unigeniti filij sui Iesu Christi
in felici rerum statu clementer
conservare dignetur.

Amen.



Epitaphium

Epitaphium
FRIDERICI II. DANORVM
REGIS PIISSIMI AC
Potentissimi.



*Q*ui decus Europæ, columen qui Teuto-
nis oræ

*Et firmus gelidam murus ad Arcton erat,
Cimbrorum tegitur rex hac Frideric' in urna,
Quam simul exornat Martis & artis honor.
Pacis enim vindex & belli fulmen utrumq;
Laude pari justo tempore rexit opus.
Attamen, ut pacem bello præferret honestam,
Auctor ei semper mens generosa fuit.
Hinc leges illo viguerunt rege, nec ullum
Justicia vicit Cimbrica regna forum.
Hinc Pietas, Musæ, Pallas commune Themisq;
Arserunt Dano limen habere solo.
Ergo nec immeritò tanti Septentrio regis
Morte dolet, mæsto concutiturq; metu.
Quæ sit rebus enim vulgò fortuna videmus,
Dum Satanæ toto perfurit orbe dolus.*

E

Christidos

EPITAPHIA FRIDERICI II.

Christidos hinc alma studijs nutritus heros
Consilio fidam réq₃ ferebat opem.
Nunc jacet ante diem properato funere mersus,
Spes summas obitu debilitátq₃ suo.
Sed sic fata ferunt, & sic incisa perenni
Lex adamante Dei consiliúm₃ jubent.
His parere decet, justúm₃ levare dolorem,
Quòd licet, ac regis facta fidém₃ sequi.
Quatuor hic annos sceptrũ fert quináq₃ lustra,
Indecorem regno nec videt ulla dies.
Lustra decem vitæ cum quatuor exigit annis,
Immemorem Christi nec videt ulla dies.
Illud honestatis decus, hunc pietatis amorem
Posteritas merito semper honore colat.
Cetera commendet, qui perficit omnia, Christo,
Proteget ille suum dúxq₃ capítq₃ gregem.
Is, quæ marcescet nunquam, super astra coronam
Imponit capiti, Rex Friderice, tuo.
Is tibi, dum regni moderare superstes habenas,
Maxima dona dedit Pacis, Honoris, Opum.
Hæc tibi dona manent, ac fausti nominis omen
Ex omni tandem parte beatus habes.

Nec

EPITAPHIA FRIDERICI II.

Nectua fama filet, vitam post funera virtus

Sumit & extremos effugit alta rogos.

Jámq; tuo tumulo certatim munera Musæ

Et Themis & Pallas Relligióq; ferunt.

Cinctaq; victrici Majestas regia palma

Pro tumba custos pervigil ipsa sedet.

Pax quoq; Palladiis sertis vivos amaranthos

Intexens tales personat ore modos:

Æternùm salve Rex laudatissime nostri

Temporis, æternùm Rex Friderice vale.

Christophorus Silvius Hamburg.

ELEGIA HENRICI RANZOVII

Ad Daniam orbatam Rege Friderico II.

SI prius ulla fuit luctus tibi, Dania, causa:

Causaq; mœroris si prius ulla fuit:

Flebilis irriguos nunc Dania solve capillos,

Fatáq; jam regis tristia plange tui.

Occidit, heu, subito tibi Rex Fridericus, in annos

Qui Pylios meritò vivere dignus erat.

Et placida pacis qui nomen & omen habebat,

Qua populi rexit Danica sceptrá tui.

E 2

Qui

EPITAPHIA FRIDERICI II.

Qui maris & terra dominus fuit acer ad Arcton,
 Externisq; simul regibus horror erat,
 Cujus & invictas experta est Suecia vires,
 Et Ditmarsa suo terra subacta jugo.
 Produxit similem cui vix Europa Monarcham,
 Qui patriæ clemens Rex fuit atq; pater.
 Rege sub hoc semper tu Dania tuta fuisti,
 Extulit hic verè nomen ad astra tuum.
 Rege sub hoc pietas, virtus, pax floruit alma,
 Rege sub hoc vixit dextra fidésq; diu.
 Rege sub hoc etiam culta est Astra decenter,
 Hospitium Musis præbuit ille sacris.
 Propterea hunc merito fas est lugere peremptum,
 Justaq; nunc planctus Dania causa tui est.
 Attamen immodico nimis indulgere dolori
 Quid juvat? hoc etiam sæpè nocere solet.
 Solus enim nutu disponit cuncta potenti,
 Quem tremat iratum terra polusq; Deus.
 Ipsius arbitrio modò te submittere fas est,
 Et placidè sortis munera ferre tuæ.
 Cum volet, in melius Deus hic mala cuncta reducet
 Successusq; dabit prosperiore frui.

Tu modò

EPITAPHIA FRIDERICI II.

*Tu modò consiliis ne refragare Senatus,
Post obitum Regis qui tua sceptrā reget.
Intereaq; Deum votis ardentibus ora,
Ut proles maneat regia salva diu.
Defunctiq; patris vestigia iusta sequatur,
Quod faxit, nutu qui regit astra, Deus.
Lux precor hæc veniat fœlici sydere læta,
Interea fœlix vive valèq; diu.*



QVERELA

Bartholomæi Stockmanni Regij Musici in
obitum Regis Daniæ Friderici II. effusa
& quinq; vocum Harmonia
composita.

*Plangite Pierides, lugubres edite voces,
Et mæsta lacrymis ora rigate piis.
Occidit ille sui Rex præstantissimus & vi,
Rex pius, & veræ Relligionis amans.
Dania fœlici quo floruit inclÿta Rege,
Pacis enim custos justiciæq; fuit.*

D 3

Descriptio

AD VIAM  TOREM

Non hæc vel uiuo uel cocto fabrica constat
Saxo nec ligno Facta sit unde rogo?


Hoc monumentum constat
ut sub illa in forma ar.
sacellum, in perpetuam me.
D. Friderici II Danorum
zouio eiusdem vicario Domi
impensis in via regia pro
tum: anno Dni. 1588
agebat

pyramide et Sacello ita
cus triumphalis sit situm
moriæ honoris ac virtutis
regis etc. ab Henrico Ran.
no in Bredenberch propriis
pe Segebergam exstruc.
quo annum ætatis
63.



Si pia maiorum violas monumenta viator
Ultrices furias experiere breui.

DESCRIPCIÓN SACELLI
Prope Monasteriũ Segebergense ab HEN-
RICO RANZOVIO propriis expen-
fis in memoriam perpetuam Friderici II.
Danorum Regis extructi.

 *Acelli Fabrica figuram habet quadra-
tam, cuius singula latera efficiunt pe-
des XXV.*

*Basí saxeá sustinetur, & ab hac instar Pyra-
midis sive turricula se attollens, in acumen eva-
dit.*

*Situm est sacellum juxta viam regiam, quæ
Rendesburgum & Bredenbergam ducit, in mon-
te rotundo, quem humana opera congestum esse,
& ædificium olim constructum habuisse, ex rude-
ribus patuit fundamenti.*

*Distat à Monasterio Segebergensi passibus
CCCCLXX.*

*A superficie soli usq; ad fastigium altum
est pedes LXIIII. circa Basim XXV. pedes
latum.*

*Supra ostia quatuor totidem sunt testudines
ad*

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.
ad medietatem usq; interioris ædificij porrecta.
Estq; illarum latitudo ferè pedum VIII. alti-
tudo XVIII.

Fenestris caret, Januis clausum est nullis:
sed frequentia ingressionum & transitionum ut
celebretur, dies noctesq; patet pervium.

Ostiorum ea est laxitas, & in sublime elatio,
ut lucem præbeant largam: & introitum exitumq;
liberum præstent.

Limina omnium ostiorum tres pedes cum di-
midio sunt alta: ut animalia bruta superare ea
prohibeantur.

Pavimentum ex lapide quadrato Gothlandico.

In ædificij medio spacio intestina Crypta est
pedes alta IX.

Sessiones intrinsecus octo excavatae & forni-
catae æquali intervallo circumquaq; distant: in
quibus statuae exemptiles collocari vel suspendi
possunt.

Consimiles sunt Sessiones aliae quatuor angu-
lares, ubi fornices concluduntur.

Conspiciuntur etiam passim tam in interiore,
quàm

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

quàm exteriori parte hujus monumenti, simula-
chra angelorum alatorum opere statuario confe-
cta ex marmore, & inaurata.

In Sacelli meditullio ara ex lapide vivo sili-
cio Holsatico erecta est, VII. pedes longa, duos
& dimidium lata & crassa. E regione versus
Orientem, supra ostium, eleganter pictum est
nomen Jehova, & effigies servatoris nostri pen-
dentis in cruce, & ei insidentis columba species
cum his versibus:

Ipsum tu Christū, quē crux designat, adora:
Atq; tuam placidè ferre memento crucem.

Spacia super cæteris ostijs interiora, exhibent bella à Friderico II. Da-
niæ Rege gesta: nempe Ditmarsorum ipsi & patruis ipsius Iohanni &
Adolpho Holsatiæ Ducibus factam subjectionem, eorūq; juramenti præ-
stationem: bellum tam mari quàm terra cum Regibus Sueciæ gestum:
Elsburgensis arcis expugnationem: Helmstadij oppidi liberationem: VV ar-
burgensis arcis recuperationem: Astorffsheidensem conflictum & dimica-
tionem: ac tandem inter ipsum & Regem Sueciæ Iohannem pacificatio-
nem: nec non insulæ Livoniensis Oesel recuperationem, auxiliōrumq;
urbi Dantiscanæ missorum designationem: Tandem arcium & navium
novam extruccionem: viarum publicarum apertionem & refectionem: lo-
corum hæcenus neglectorum culturam: diversorum ædificiorum, quæ ve-
tustate vel vitium fecerant, vel collapsa fuerant instauracionem: Deniq;
cum relictis regnis ac Ducatibus suis florentissimis, amplissimis thesauris,
classe instructissima, & bellicis tormentis plurimis, piè ac placidè ex hac
mortali vita ad immortalē decessisset, pompæ funebris Rodtschildiæ in exe-
quijs ipsius habitæ delineationem.

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

Structura monumenti neq₃ latere neq₃ cemento neq₃ ligno constat: sed materiam illi suppeditavit calci fodina Segebergensis. Hinc enim eruta calce viva & fusili reddita, quasi ex uno solido lapide est compactum monumentum miro artificio & sine columnis, sine trabibus, sine transtris, sine tecto imbricato, totum albano opere expolitum.

Foris in quatuor extremitatibus ædificij summo loco, quo id in culmen surgit, coruscant quatuor parva marmora efformata in modum adamantis aculeati. In apice ipse micat globulus marmoreus expressione uvarum inauratarum exornatus, in cuius summitate extat penniculum inauratum. Interius ex aduerso quatuor locis herent fornicibus affixa quatuor parva marmora quadrata, in cuspidem desinentia.

In medio cryptæ globulus marmoreus extraneo respondens dependet.

Cæterum in quem finem hoc monumentum sit conditum, indicant marmorum inscriptiones tam interiores quam exteriores: quarum unumquodq₃ latus exterius ternas, interius vero binas exhibet.

In parte Australi intima, propositæ sunt sequentes leges ingredienti Sacellum cognoscendæ & observandæ.

Hoc Sacellum, ne ejus violetur Religio, ingrediens hæc observato leges:

DEVM OPT: MAX: TRINVM
ET VNV Mante arã flexis genibus adorato.

Manibus immundis nihil contrectato.

Omnibus lustratis, quæ saxis incisa sunt,
perlegito. His

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

His peractis, Friderico II. Regi Daniae de placido obitu & vitæ immortalitate gratulator.

Et filio ejus Christiano IIII. cæterisque Principibus Holsatiae & c. gubernationem piam pacatamq; exoptato.

Secundum illos Henrico Ranzovio, ejus liberis, posteris, familiaeque universae successus salutare atq; prosperos precator.

Hosq; omnes Deo Optimo Maximo commendato.

Mortalem deniq; te esse memento, & vitæ spacium, quod omnibus natura circumscripsit exiguum, sanctissime honestissimeq; conficito, ut moriens vivas in omnem æternitatem. Valeto & hinc in pace discedito.

In parte Septentrionali itidem intima Henrici Ranzovii Querimonia se offert & ejusdem Consolatio.

QVERELA HENRICI
RANZOVII.

F 2

Subsiste

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

Subsiste hæc intuens &

*Mihi Henrico Ranzovio Regum Dania,
Christiani III. & Friderici II. quondam, &
nunc Christiani IIII. in Ducatibus Holsatia etc.
Vicario LXIII. annum ætatis agenti pro pieta-
te tua condolet.*

* Obijt anno

87. 15 Iunij.

† Obijt anno

87. 26 Maii.

† Anno 87.

19. Novemb:

* Anno 88.

20. Ianuarii.

* Anno 87.

24. Novemb:

† Anno 88.

23. Ianuarii.

* Anno 88.

4. Aprili,

*Unius enim anni spacio orbatus sum Frideri-
co * Duce Holsatia & c. Domino meo, filia † Ca-
tharina in Dania, filio Friderico † natu tertio in
Gallia, nepte Catharina * ex Olgarda filia in
Germania, nec non duobus fratris mei Pauli fi-
lijs, Daniele * in Gallia & Iohanne † in Polo-
nia.*

*Tandem etiam * Friderico II. Rege Da-
nia & c. Domino meo Clementissimo, non tan-
tum Rege, sed patre patria, cuius Europa vix jam
habet pietate, virtute, magnanimitate, fortitudi-
ne in rebus gerendis & consiliorum felicitate si-
mitem, qui omnes longe disitis locis mortui re-
surrectionem vitamq; caelestem conjunctim expe-
ctant.*

*Fam egomet dissolutionem mei corporis, ut
servus*

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

*seruus Dominos, pater liberos, avus neptem &
patruus fratris filios præpostero planè naturæ or-
dine præcedentes, ad vitæ æternæ societatem
quamprimum sequar, avidè pièq; desiderans
exopto.*

NULLA CALAMITAS

Sola.

*Interim hujus expertus lector vive, vale, prosperi-
fortuna utere: quod tibi ex animo precor. (ori
Marmoris hoc vacuum lachrymis impleto via-
Si pietas animum commovent ulla tuum. (tor,*

HENRICVS RANZOVIVS

consolatur semetipsum:

*Ipse ego sic casus terræ, tristèsq; ruinas
Consolor, damnis contraria lucra rependens:
Terra est Hospitij domus, est mihi patria Cælū,
Advena sum terris, hæres ac civis Olympo,
Hic parvus dolor est, illic immensa voluptas.
Fide igitur mea mens, et fer, quodcūq; ferendū est:
Mox tibi finis erit requièsq; petita laborum.*

*Cæteræ partes interiores ab Inscriptionibus
etiamnum vacuæ sunt.*

F 3

Orien-

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

Orientalis plaga hasce inscriptiones extrinsecus obtinet.

DEO TRINO ET VNI
SACRVM.

Friderico II. Christiani III. Regis filio, Friderici I. Regis nepoti, Christiani I. Regis pronepoti, Danorum, Norvegiarum, Gothorum & Vandalorum Regi, Schlesvicensium, Holsatorum, Stormariorum & Ditmarsorum Duci ac Principi, pio, felici, inclyto, Domino suo Clementissimo. A. C. MD. IO. LXXXIIX. IIII. Aprilis, & tatis anno LIIII. defuncto HENRICVS RANZOVIVS Regiæ suæ Majestatis in Ducatibus Holsatiæ Vicarius, mærens dolensq; debita gratitudinis ergo, in memoriam perpetuam honoris & virtutis Majestatis ejusdem hoc Sacellum

F. F.

FRIDERICVM II. REGEM

Daniæ alloquitur H. R.

Qui caput Europæ, qui Martis & artis ad Ar-
Qui juris columnen, qui pietatis eras, (Eton,
Hunc

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

Hunc tibi, Rex, tumulum, Friderice, Henricus
Ranzovius, soboli constituig, mea. (honoris
Vno namq, senex anno sex funera plango,
In quibus, heu, summus sunt tua fata dolor.
Id testor. Tu diue meum ne despice pignus:
Sicutuus ex merito te tueatur honos.

AD VIATOREM.

Non hac vel vivo vel cocto fabrica constat
Saxo, nec ligno. Facta sit unde, rogo?

CIO. IO. XXCIIIX.

HENRICVS RANZOVIVS
Ad Serenissimum Regem Daniæ
Fridericum II.

Dum tibi vita fuit, felici sorte fruebar,
Est nunc per mortem sors mea versa tuam.
Conficior curis lachrymarum in valle relictus,
Te sine plena gravi vita dolore mihi est.
Accipe supremos Rex, quos largimur, honores,
Præstiterat nostro te superesse rogo.
O utinam vivo potuissem præmia justa
Reddere: pro meritis accipe nunc tumulum.

Ad

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

Ad posteritatem.

*Aspice posteritas Friderici in Regis honorem
Quod posuit donum generoso sanguine natus
HENRICVS RANZOV, quod non sen-
(tentia mortis
Vincere, sed poterit longaeva abolere vetustas.*

M. D. LXXXVIII.

*Pars Occidentalis continet Donationem huic
Sacello addictam tam Latino, quam Germanico
Idiomate.*

IEHOVAE DEO SACRVM.

Ego HENRICVS RANZOVIVS,
Danorum &c. Regis vicarius, Dominus ar-
cis Bredenbergaë do, lego dariq; volo quo-
tannis tertia feria Pentecostes, peractis sacris,
& proximè sequentibus tribus diebus per
presbyteros & Diaconos hujus oppidi Sege-
bergensis (quos conjunctim ejus rei dispen-
satores, certo laboris præmio constituto, ordi-
navi) ante hoc Sacellum ad refectioem cen-
tum

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

tum pauperū præfecturæ Segebergensis, Elemosinas anniversarias, ex redditibus cujusdam pecuniariæ obligationis ipsorum fidei traditæ, residuamq; horum reddituum partem ad reparationem hujus Sacelli, quotiescūq; necessaria fuerit, converti: Ea tamē lege ac conditione, ut illi redditus à Diaconis ad nullos alios usus conferantur, nec alio loco Elemosinæ distribuantur. Quod si factum fuerit, hæredibus, posteris, familiæq; meæ RANZOVIANAE concessi potestatem huic Sacello addictam Donationem revocandi, redditusq; ad alios pios usus transferendi.

Et licet hanc formam dispositionis acta sigillata plenius contineant: tamen ejus tenorem ad fidem harum rerum posteris faciendum huic tabulæ quóq; incidi placuit.

Gott dem allmechtigen vnd der heiligē Dreyfaltigkeit zu Ehren. Auch weilandt dem durchleuchtigsten Großmechtigsten vnd Hochgebornen Fürsten vnd HErrn / HErrn Friderich dem andern Könige zu Dennemarcken / Norwegen / der Wenden vnd Gotten / Herzogen zu Schlesswig /

G

wig /

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI

wig/ Holstein/ Stormarn vnd der Ditmarsche/
 Graffen zu Oldenburg vnd Delmenhorst zc.
 Seinem gnedigstige HErrn zu ewigem gedechts
 nuß / vnd den armen zu allen künfftigen zeiten
 im Ampte Segeberge zu gutten / hat der Edle/
 Gestrenge/ Ehrveste HErr / HErr Heinrich
 Ranzow HErrn Johans Sohn / Inn den
 Fürstenthümben Schlesswig / Holstein/ Stor
 marn vnd der Ditmarschen Königlichen May:
 Inn Dennemarcken Statthalter / Amptman
 auff Segeberge / Erbgessenn zum Breiten
 berg/ Ranzowischholm/ Drackenburg zc. Diese
 Capelle erbawet vnd gestiftet / der gestalt / vnd
 also/ das Thärlich hundert Personē des Ding
 stages inn den heiligen Pfingsten vnd die nechst
 folgende drey tage nach geendigte Gottesdienst/
 bey solcher Capellen gespeiset werden sollen. Das
 zu der HErr Statthalter/ so wol als auch zu vns
 terhaltung der gebeuwde dieser Capellen ewige
 Rente legiret / vnd gegeben mit dieser anord
 nung/ das der Pastor/ Diaconi vnd Kirchendien
 ner so künfftig zu Segeberge bey der Kirchen sein
 werden/ diese Almosen/ zu obgedachter zeit vnter
 die Armen auftheilen/ Sein Erben vnd Ges
 schlechte die nachkomende Ranzowē auch dar
 auff sehen sollen/ das solche Christliche stiftung
 dieses

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

dieses Orts steht vnd fest / die Capelle auch in ih-
rem beuolichen wesen erhalten werde / Vber wel-
che milde gabe dan sonderliche besigelte verschrei-
bungen auffgerichtet / So dan auch zum vber-
fluß vnnnd zu ewigem gedechtnuß vor
die nachkommen in diesen Stein
gehawen worden.

* *

Anno Domini M. D. LXXVIII.

IN AVSTRALI PARTE EX-
trinsecus videre licet sequentem inscriptionē
& solarium unum in plano descriptum cum
versibus.

DEO OPTIMO MAXIMO PO-
STERITATIQUE SACRVM.

D. D. D. D. FRIDERICO PRIMO
CHRISTIANO III. FRIDERI-
CO II. & CHRISTIANO IIII.
proavo, avo, patri ac filio, quatuor ex ordine
Danorū Regib⁹, victoriosis ac potentissimis,
de se & suis optimè meritis, HENRICVS
RANZOVIVS trium posteriorum in
G 2 Ducatibus

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.
Ducatibus Holsatiæ &c. Vicarius subje-
ctissimæ observantiæ ergo, Anno Domini
CIO. IO. LXXXIIX. ætatis suæ LXIII.
fieri curavit.

*Hic tibi cum numero spectantur nodus & umbra,
Quæ tria quid doceant commemorare libet.
Umbra notat dextrè, quota cursitet hora diei,
Hincq; monet vitam sic properare tuam.
Ast in quo signo magni lux publica mundi
Versetur, mira nodulus arte docet.
Si vis scire, dies quot quilibet occupet horas,
Id numerus media sede locatus habet.*

SEPTENTRIONALIS PLAGA
habet has Inscriptiones.

JEHOVAE DEO SACRVM.
DEVS OPTIME MAXIME
*Mentē, animum, cor ipsum atq; animū voti reus
jure dedico tibi ego Henricus Ranzovius &
FRIDERICO II. REGI DANO-
norum, Friderico Duci Holsatiæ, Dominis suis,
Friderico*

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

Friderico Ranzovio filio suo,

Unius anni spacio

Præpopera morte sublatis

Obnoxia piâq; affectione

contra votum posui,

Anno Domini 1588. agens annum ætatis 63.

ACROSTICHIDES IN OBI-

tum Friderici II. Danorum Regis.

FR actum obiit fato nostrum decus illud & illu D

I ngens Teutoniae fulc Rum, cum ter duo lustr A,

D empto anni spacio, v Eluti venerabile nume N

Regna salutifero sua REXERat undiq; Sceptro O.

I nterea miseri hac mis Era qui valle tenemu R

C urvarum, vario Replemus sydera flet V,

V Sq; malis certã statuent sacra numina meta M.

AENIGMA CONTINENS

annum obitus.

Quot Deus explevit calum terrãmq; diebus, 6.

Anni quot vixit tempora primus Adam, 930.

Quot periere rubra curr⁹ Pharaonis in undã, 600.

Quot genuit Jacob pignora mascla thori, 12.

G 3

Quot

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

Quot Sinai Dominus leges in vertice sanxit, 10.

Quot Samson rigido perdidit ense viros: 30.

Annos in numerum tot collige Lector, habebis

Quo mortem, Danus Rex, Fridericus obit.

Videlicet Anno Christi 1588.

EPIGRAMMA

IN TYPVM SACELLI RAN-
ZOVIANI antè hanc descriptio-
nem expressum.

Quod tibi præmissa demonstrat imagine, Lector,

Artificis cuprum sculpere docta manus,

Stat prope Segbergam fanum spectabile, mira

Calx cui materiam fusilis arte dedit.

Henricus Regi Friderico pignus honoris

Ranzovius fieri curat id ære suo.

Legat & ære suo reditus, ut egena quotannis

Inde stipem numero turba frequente ferat.

Hic virtutis honos, ea rari gratia facti

Si placet, hoc dignum nobilitate decus,

Ranzovij parcat fano, dic, sera vetustas,

Sic & Friderici fama perennis erit.

C. S. H.

Sequuntur Epicedia Catharinæ & Friderici
Ranzoviorum.

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

ITZ EHO Æ
CATHARINÆ RANZOVIÆ,
*FridERICI Alefeldij Uxori post unius diei morbum
subita mortis casu abrepta, cum vixisset annos
XXIII. Menses V. dies XIII. horas. IIII.*

HENRICVS RANZOVIVS VI-
carius Regius & CHRISTINA ab Halle
parentes, præpostero naturæ ordine in senio
superstites relictæ insperatū hoc monumen-
tum mœrētes posuere, Anno Domini 1587.

HENRICVS Ranzo, Dania qui nomine Re-
Holsatiam magna dexteritate regit, (gis
Ipsius & coniux Halle & gloria stirpis,
Gratum quæ Christi nomine nomen habet,
Ambo dedere suæ monumentum hoc nobile natæ,
Cum rigida mortis falce resecta fuit.

Hæc Catharina fuit, FridERICI nupta Alefeldi,
Quæ tulit hanc ipsi, mors inopina fuit.
Tres & viginti vitæ transegerat annos,
Menses præterea quinque diésq; decem,
Tres dictis superadde dies cum quatuor horis
Præpropera, dices, morte soluta jacet.

O Insperatum

DESCRIPTIO SACELLI RANZOVIANI.

*O inſperatum monumentum hoc, ordine prolis
Turbato, mæſti quod poſuere ſenes.*

CATHARINA RANZOVIA
alloquitur parentem.

*Care parens noli nimis indulgere dolori,
Quòd me fata citò ſurripuere tibi.
Juſta quidem, quòd ſum proles jam tertia, morte
Quæ rapitur ſubita, cauſa doloris adeſt.
At tibi ſubueniat ruruſus, quòd cara relinquo,
Quæ minuant luçtum, pignora trina tibi.
Hæc fidei commito tuæ, cariꝰq; mariti,
Vobiſcũq; opto ſalua manere diu.
Ipſa ego non cupio vitam reuocare priorem,
Nam fuit hæc multis obruta ſæpe malis.
Quorum nunc expers, cum ſançtis gaudia cœli
Percipiens, vita proſperiore fruor.
Et mihi mortalis lux quæ fuit ultima vitæ,
Prima ſalutiferæ lux & origo fuit.
Interea tu care parens matérq; valete,
Cũq; tribus natis care marite vale.*

ALIVD

Hac

EPICEDIA CATHARINÆ RANZOVIAE.

Defuncta loquitur.

Hac ego Fridrici conjux Alfeldis in urna
Dormio, Ranzovia lux Catharina domus.
Nam patris Henrici, Christinae gaudia matris,
Corq; viri, thalamo pignora terna dedi.
Sed tantum addideram tres lustris quatuor annos,
Quod vitæ dici vergeniale queat;
Cum velut è latebris subito me conficit ictu,
Ut pariat luctum mors truculenta meis.
Quid verò nocuit? docuit me, sanguine Christi
Quod mundata nitens sum Catharina Deo.
Ergo flere licet, non indulgere dolori,
Flebile nam funus nobile fœnus habet.
Hanc pater, hanc genitrix, hanc te, dulcissime con-
Hanc vos, filioli, spem recreare volo. (jux,
Id, si cara fui, date mi, pariterq; rogate,
Ut mea, dum surgam, molliter ossa cubent.
Catha- { nata Segebergæ } est anno { 1563. 13. De-
rina { mortua Arho- } { Domini } cemb:
{ via } { 1587. 26. Maij.
Vixit igitur annos 23. Menses quinq;
dies 10.

H

EPITA-



Mars puerum
docuit

Mars iuuenem
rapuit



Ranzouius



Halle

Fridericus Ranzouius Henrici vicarii regis Daniae etc.
 Filius, decus patriae, columen familiae, equitum exemplar, in
 isto aetatis flore, promilitia terrestri, coelestem adiit,
 cum quinque expeditionibus interfuisset ac tandem in
 gallia. A. C. MD. LXXXIX. IX decembris stilonouo regis
 galliae Henrici III partes secutus, non procul a champeraux
 a sicaris globo aliquoties ex insidiis traiectus perisset,
 natus annos XXX dies XXIX



EPITAPHIVM
FRIDERICI RANZOVII IN
OPPIDVLO GALLIÆ COL-
LEVVRE apud Bituriges sepulti, quem pater
HENRICVS RANZOVIVS antea in oppido Lo-
tharingiæ Nantzij humatum iri puta-
verat, Lutetiæ Parisiorum
factum.

Anno Christiano *CIO. IO. LXXXIIX*
FRIDERICVS RANZOVIVS
HOLSATVS

Patre natus nobilissimo & amplissimo viro
HENRICO RANZOVIO
SERENISSIMI DANIÆ RE-
gis Consiliario & in Holsatia legato
Domino Hereditario in Breitenburgk &
Drakenburgk,
Patris nempe fortissimi genuina virtute filius,
Familiæ Columnen, patriæ Lumen,
Equitum sub Comite Bassonpiero Magister,
Dum secunda Christianissimo Regi Galliarum
stipendia meret,

H 2

Et

EPICEDIA FRIDERICI RANZOVII.

*Et fugatis hostibus, rariori Comitatu, castris lon-
gius abscedit,*

Natura debitum latronum sceleri persolvit,

*Et mortalis corporis mortales exuvias cum stola
caelesti commutavit;*

*Eas per Magistratum horum locorum hono-
rificè collectas*

*Et postea à nobilissimo viro Andrea Ples-
sio cognato cognitas*

Mærentes amici huic tumulo mandavere,

Patria procul, patre procul,

Procul sepulchris paternis.

An hoc ille infelicior?

Non est, non est, viator.

Cur?

Fortibus & pijs omne solum

Ut patria est, ita sepulchrum.

Et hoc si didicisti

Viator, ABI.

ALIVD.

VIATOR. GENIVS.

V. *Q*uis cubat hic? G. Holsatus eques, vernante sub ævo
Quem dirus Stygia sustulit arte dolus.

Quod

EPICEDIA FRIDERICI RANZOVII.

- V. Quod fuit huic nomen? G. Friderico. V. quod genus? G. alto
Ranzovia natus sanguine gentis erat.
- V. Quis pater? G. Henricus, Danorum Regis in agro
Qui tenet Holsato notus ad astra locum.
- V. Inde quid huc venit? G. Gallorum Regis in arma:
Arsit enim Martem laudis amore sequi.
- V. At qua principio dicebas arte peremptum
Tam florentem annis, ortu animoq; virum?
- G. Fulmineis, eheu, scloporum glandibus ictum
Vsa latrocinio turba dedere neci.
- V. Proh scelus: insidiis succumbit Martia virtus.
G. Quin, si fraude carent vulnera, laude carent.
- V. Quid loquar? G. ulterius ne quere viator, abito,
Cum lubet, hic prohibet longius ire dolor.
Dic tamen abscedens: non sit gravis urna sepulto,
Dum vindex animæ copulet ossa Deus.

Christopho: Silvius.

ALIVD.

Nobilis Holsati Friderici nomine Ranzov
Ossa sub hoc vili marmore tecta jacent.
Spes patriæ, columnen gentis, dum fata sinebant,
Exemplumq; Equitum nobile semper erat.
Flore sed ætatis globulis trajectus in ipso,
Dum sequitur fortis Gallica castra, perit.
Et sic militiæ terrestres signa relinquens
Jam sequitur summi calica castra Dei.

ALIVD.

Æquaturus avum Mavortis honore Joannem
H 3 Occidit

EPICEDIA FRIDERICI RANZOVII.

Occidit in vegeto Fridericus flore juventæ
 Ranzovius: fallens spem magni nominis: ipse
 Cognatis, Regiq; suo quam fortibus ausis
 Feccrat. O nimium spes est humana caduca.
 Sic seges Agricola fallit speciosa laborem,
 Grandine cum subita à culmis quatuntur arista.

Fridericus	{ natus Sege- bergæ mortuus in Gallia	{ est anno Domini	1557. 31. Octob:
			hora 6.
			1587. 9. Decemb:
			Stylo novo; 29.
			stylo veteri.

Vixit igitur annos 30. dies 29.

EIDYLLION VERGILIANVM
 IN OBITVM NOBILISSIMI
 & fortissimi viri Friderici Ranzovij, Henri-
 ci F. in Gallia prope Champeraulx à
 ficarijs ex insidijs interempti, cùm
 vixisset annos XXX.
 dies XXIX.

AEn. 6.	E Gregium forma juvenem, cui cura nitentes Pascere equos cursuq; pedum prævertere ventos, Et conferre manum & tentare pericula belli Teutonico ritu, quem non virtutis egentem Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo,	AEn. 6.
AEn. 6.		AEn. 7.
AEn. 9.		AEn. 11.
AEn. 7.		AEn. 11.
AEn. 11.		AEn. 11.

Hinc

EPICEDIA FRIDERICI RANZOVII.

Ge. 7	Hinc canere incipiam : manibus date lilia plenis	AEn. 6.
Ge. 1.	Diūq; Deaq; omnes, dulcēsq; ante omnia Musæ.	Geor. 2.
AEn. 6.	Purpureos spargam flores, solatia luctus	AEn. 11.
AEn. 11.	Exigua ingentis, misero sed debita patri.	AEn. 11.
AEn. 2	Ipsē inter primos, dum fata Deūsq; sinebant,	AEn. 4.
AEn. 9.	Ante annos animūmq; gerens curāmq; virilem,	AEn. 9.
AEn. 7.	Exercebat equos currūq; in bella ruebat:	AEn. 7.
AEn. 6.	Atque omnes pelagiq; minas cœliq; ferebat.	AEn. 6.
Ge. 4.	Nulla Venus, nulliq; animum flexere hymenæi;	Geor. 4.
AEn. 10.	Caniciēmq; sibi & longos promiserat annos.	AEn. 10.
AEn. 2.	Dijs aliter visum est, quoniam sors omnia versat,	Ecl. 9.
AEn. 8.	Procubuit, metāsq; dati pervenit ad ævi.	AEn. 10.
AEn. 3.	Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.	AEn. 3.
AEn. 10.	O dolor atque decus! dum spes incerta futuri	AEn. 8.
AEn. 8.	Dum curæ ambiguæ, fatis adductus iniquis,	Aen. 10.
Ge. 1.	Insidias sensit medios delapsus in hosteis,	Aen. 2.
AEn. 9.	Frangere loci & noctis, nec spes opis ulla dabatur.	AEn. 2.
AEn. 9.	Vt stetit, & frustra absentes respexit amicos,	AEn. 9.
AEn. 2.	Exoritur clamorq; virum clangorq; tubarum,	AEn. 2.
AEn. 8.	Galli per dumos aderant, genus acre luporum,	Geor. 3.
AEn. 8.	Defensi tenebris & dono noctis opacæ.	AEn. 8.
AEn. 9.	Nec longum in medio tempus, cum iam manus omnis	AEn. 9.
AEn. 9.	Oppressum rapit, & conantem plurima frustra.	AEn. 9.
AEn. 5.	Hic Iuvenis, quanquam in media iam morte tenetur,	AEn. 2.
AEn. 10.	Corde premit gemitum magnūmq; ita ad æthera satur:	AEn. 10.
AEn. 10.	Omnipotens genitor superi regnator Olympi,	AEn. 2.
AEn. 4.	Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi,	AEn. 4.
AEn. 12.	Parcarūmq; dies & vis inimica propinquat;	AEn. 12.
AEn. 1.	Et iam finis erit. oro miserere laborum	AEn. 2.
AEn. 2.	Tantorum, miserere animi non digna ferentis.	AEn. 2.
AEn. 12.	Has intrer voces, media inter talia verba	AEn. 12.
AEn. 10.	Corruit in vulnus, sonitum super arma dedere,	AEn. 10.
AEn. 10.	Et terram hostilem moriens petit ore cruento.	AEn. 10.
AEn. 9.	Purpureus veluti cum flos succisus aratro	AEn. 9.
AEn. 11.	Cui neque fulgor adhuc nec dum sua forma recessit	AEn. 11.
		Langvescit

EPICEDIA FRIDERICI RANZOVII.

AEn. 9.	Languescit moriens, lassóve papavera collo	AEn. 9.
AEn. 9.	Demisere caput, pluvia cum fortè gravantur.	AEn. 9.
AEn. 10.	Stat sua cuiq; dies, breve & irreparabile tempus	Geor. 3.
AEn. 10.	Omnibus est vitæ: sed f ^{rum} extendere factis	AEn. 3.
AEn. 11.	Militia tali, per tot discrimina rerum,	AEn. 1.
AEn. 10.	Hoc virtutis opus, facilis jactura sepulcri est.	AEn. 2.
AEn. 12.	Ille quidem ad superos, si quid mea carmina possunt,	AEn. 9.
AEn. 12.	Succedet fama, vivúsq; per ora feretur.	AEn. 12.
Ecl. 8.	Certum est in sylvis inter spelæa ferarum	Ecl. 8.
Geor. 4.	Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.	Geor. 4.
AEn. 9.	Felix morte tua proles pulcerrima bello,	AEn. 7.
Ecl. 6.	Te nemus omne canet, fluvios dum piscis amabit,	Ecl. 5.
Ecl. 5.	Dúm; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ,	Ecl. 5.
AEn. 1.	Semper honos noménq; tuum laudésq; manebunt.	AEn. 1.

M. Henricus Meibomius, Acad. Iuliæ Professor Helmæstadij F.

C O P I A

LITERARVM SERENISS: R E-
gis Daniæ FRIDERICI II. ad HEN-
RICVM RANZOVIVM, in quibus
ipsum consolatur de obitu filij Friderici, sub dato
Anderschou, 30. Martij, Anno 1588. Rex at-
tem ipse paulò post 4. Aprilis, eodem Anno
placide obiit, & hanc mortalem vitam
cum cœlesti commutavit.

FRIDERICVS DEI GRATIA,
REX DANIAE &c,

Nobilis præclarè syncerèq; nobis dilectè:
Filium tuum FRIDERICVM in
Gallia

EPICEDIA FRIDERICI RANZOVII.

Gallia periisse non sine animi perturbatione
audivimus. Si Deo ita visum fuisset, sanè diu-
turniorem vitam ex animo ipsi optassemus.
Cum autem hujusmodi casus immutari ne-
queant, DEO Opt. Max. qui unicuiq; cer-
tum vitæ terminum præfixit, liberam de his
disponendi potestatem æquo animo per-
mittere tenemur. Commiseratione tamen
Regia ac pia obhunc tristem casum tuum affi-
cimur, tēq; benevolentia Regia prosequentes
Deo immortalī commendamus. Datum An-
derschouij 30. Martij Anno 1588.

Querela

HENRICI RANZOVII REGII
*Vicarij de obitu Serenissimi Regis Daniæ FRI-
DERICI II. nec non filiorum, qui o-
mnes unius anni spacio obierunt, versi-
bus etiam conscripta.*

Fata mei Regis dum tristia mēte revolvo,
Huc ades incōptis mœsta Elegia comis.
I Inq;

QVERELA HENRICI RANZOVII.

Inq; statumifero dicta mihi flebile carmen,
Est tibi nunc ratio fortis habenda mea.
Nam mihi diversi sexus duo pignora lecti,
Nam mihi mors neptē, mors inopina rapit.
Hinc mea mens acri quàm sit cōcussa dolore,
Lingua viri certè promere nulla potest.
In partes aliquot cor dissultasse putavi,
Et pars abrumpi corpore visa meo est.
Tā dolor invasit vehemēs me morte meorū,
Quòd fuerant animæ pignora grata mea.
Si mihi mors unam rapuisset lurida prolem,
Ut quererer causæ quis fatis esse neget?
Nūc tres abripuit, tres uno absorpsit in anno,
Jure igitur summo lugeo, jure queror.
Filia * prima fuit, neptis o fuit altera, nunc est,
Filius, † heu, luctus tertia causa, mei.
Quarta fuit regis d mors immatura potentis,
Qui placida rexit Danica sceptrā manu.
Accidit hoc nunquā casus mihi tristior ullus,
Donec in hoc fragili corpore vita fuit.
Verus enim patriæ pater & fidissimus almæ
Justitiæ cultor Rex Fridericus erat.

* Anno 1587.
26. Maij
o Anno 1588.
30. Ianuarij.
† Anno 1587.
29. Novemb.
d Anno 1588.
4. Aprilis.

Et

QUERELA HENRICI RANZOVII.

Et quia terrarū & Domin⁹ maris extitit idem,
Regibus externis terror & horror erat.
Heu mihi, quòd serv⁹ Domini post funera vi-
Debueras nostro rex superesse rogo. (vo,
Hei, mihi quòd tumulum tibi do, charissime
Justaq; perficio non facienda senex. (fili,
Tu mihi debueras tumulū dare, justaq; patri,
Ac ea nunc, misero me tribuente, capis.
Sic fuit in fatis, Rex, natus, filia, neptis
Acciperent, meritò quæ dare debuerant.
Nec fratris melior fors, si modò viveret, esset
Accedit nostris hæc quoq; causa malis.
Nam de natorum numero, quos ipse reliquit,
Abstulit, heu, subitò mors quoq; sæva duos.
Proh dolor, his etiam durissima fata negarūt,
Defuncti ut patria contegerentur humo.
Namq; dedit tumulū † Danieli Gallia, Janū *
Terra Polonorum fervida Marte tegit.
Sed satis est vanas sic effudisse querelas,
Est mihi quod luctū mitiget usq; gravem.
Scilicet hæc veteri stant fata ita condita lege,
Optima prima cadunt, pessima salva manēt.

† Anno 1587.
24. Novemb.
* Anno 1588.
23. Januarij.

QV ERELA HENRICI RANZOVII.

Sic Paris exequias fieri super Hectore vidit,
Sic periit Paulus, Varro superstes erat.
Sic quoque Christophor⁹ periit Rex Danic⁹
Qui plures annos vivere dign⁹ erat. (olim,
Sic Ladislaus periit juvenilibus annis,
Qui Rex haud tenuit sceptrā Bohemā diu.
Sic etiam Cæsar primæ sub flore juventæ
Albertus tristi funere raptus obit.
Hoc tamen in luctu me consolatur acerbo,
Ad metam properat quòd mea vita suam.
Intueor portū, quod corpora nostra resurgēt
Lucida in adventu, Christe benigne, tuo.
Cum dabitur justis (veluti sacra pagina spon-
In regno summi vita beata Dei. (det)
Tunc mihi restituet Domin⁹ clemēsq; potēsq;
Quoscunq; eripuit mors inimica mihi.
Sic etiā Regem, quem Dania luget ademptū,
Quo mihi non ullus charior esse potest.
Sed nunc, ut reliquos, oro, dum vixero, serves
Incolumes, regnas qui sine fine Deus.
Hæredēmq; sacro tuearis numine regni,
Electi Regis qui modò nomen habet.

At

CONSOLATIO FILIORVM AD H. R.

At quæ nunc patulas mihi vox defertur ad
Auscultare libet, quid velit illa sibi. (aures?)

RESPONSIO ET CONSOLA-
TIO FLIORVM AD HENRI-
CVM RANZOVIVM

Parce tuam genitor fletu cruciare senectam,
Æqua mente decet tristia fata pati.

Nil profunt lachrimæ. nam servant fata rigorem:
Facta infecta potest reddere nullus homo.

Et quam nos hodiè calcauimus, ecce, futuro
Tempore victuris ista terenda via est.

Faxit, ne posthac similem experiare dolorem,
Tollere vel nutu qui mala cuncta potest.

Progeniemq; tuam, Solis quæ vescitur aura,
Sospitet immensa pro bonitate Deus.

Et nostræ rapuit quod mors inopina iuventæ;
Hoc Deus ulterius prorogat ipse tibi.

Nos sumus in require, portumq; invenimus: ergo
Parce tibi genitor, quæsumus, atq; vale.

CONSOLATIO REGIS AD
Henricum Ranzovium

CONSLATIO REGIS AD H. R.

*Subdite chare tuum tandem compesce dolorem,
Cuncta sub imperio mors tenet atra suo,
Et statuit cunctis metam Deus optimus alma
Vita, quam nullus transgredietur homo.
Præterea est nobis proles generosa superstes,
Quæ discet rectè fortia facta sequi.
Hanc vestra mando fidei, tu desere nunquam,
Donec in hoc vitæ tramite sospes eris.*

*Vos, patriam repetens, tristi tellure relinquo,
Me tenet alma quies, vos lacrymosa dies.*

HENRICI RANZOVII

Epigramma de morte.

*Horrida res illis mors est ac pessima, quorum
In vitæ non sunt nomina scripta libro.*

*Optima res illis ac jucundissima mors est,
Qui Christo fidunt, spemq; salutis habent.*

Ergo nil trepida, cum mortis venerit hora,

Qui certam vitæ spem melioris habes.

Non horres somnum quærens intrare cubile

Atq; tuo placidè ponere membra thoro.

Ergo nec moriens debes horrere sepulchrum,

Nam quo te recrees, hîc tibi somnus erit.

Martis

H. R. EPIGRAM: DE MORTE ET EMBLEMA.

*Matris ut in gremio recreatur sua viter infans,
Dum brevis instaurat membra tenella sopor:*

Sic recreabuntur dulci tua membra quiete,

Effossa fueris cum tumulatus humo.

Hic tibi nec cura, nec tædia temporis ulla,

Nec quicquam, quod te tædere possit, erit.

Hic tibi, quos sua vi somno transegeris annos,

Si credis, modici temporis instar erunt.

Nec tamen in gremio terræ sine fine manebis,

Ast alio Christus te tua vita trahet.

Cum tuba cælestis spaciosum perstrepet orbem,

Atq; nova vitæ dux manifestus erit.

Tunc postquam reprobos nigro concluderit Orco,

Donabit gratis cælica regna tibi.

Emblema

HENRICI RANZOVII,

Regij Daniæ Vicarij.

Pictura.

*Cranio superimpositum Horologium, spicis tritici
ex eo enascentibus.*

Cum inscriptione.

Dies mortis æternæ vitæ natalis est.

Ultima

EMBLEMA HENRICI RANZOVII.

*Ultima quæq; dies vitæ, si credimus hujus,
Est vitæ nobis fons & origo novæ.*

De eodem Emblemate N. Reufneri
Epigramma.

Quid Cranij sibi forma novi vult ista? quid hora?

Quidq; super Cranio vult nova nata Seges?

Nempe dies mortis, vitæ fit origo perennis:

Qui moritur mundo, nascitur ille DEO.

Scilicet hoc HENRICE placet tibi Symbolon, he-

Inclyte: quod pietas suggerit ipsa tibi. (ros

At tibi sera dies mortis tamen occidat, opto:

Ut sint virtuti tempora longa tua.

Ut quacunq; DEVS te sponte beaverit hora,

Æternæ vitæ sit genitura dies.

Ejusdem

De eodem Symbolo.

Summa dies mortis vitæ natalis habetur

Æternæ: Si vis vivere, discite mori.



CARMEN

Carmen Heroicum

EXEMPLIS ALIQVOT DE-
clarans mensem Octobrem familiae Regum
Daniae plerumq; esse fatalē; & hos ipsos Re-
ges raro excedere annos ætatis climactericos
& enneadicos, in primis sexagesimum ter-
tium: Scriptum sub finem mensis

Januarij Anno

CID IO XXCVII.

*Accessit Elegia ad Henricum Ranzovium
de ætate ac anno obitus Regis Daniae
Friderici Secundi.*

Mensis annorum spacjjs, quæ tempora menses
Ausonij dixere, polo sua jura suasq;
Esse potestates vitæq; necisq; ferendæ
In mortale genus, prima inde ab origine mundi
Non dubijs passim docet experientia signis.
Nam licet assiduo penetrent mortalia fluxu
Ortus & interitus, nasciq; moriq; vicissim
Humana de stirpe aliquos, discrimine nullo,
Per lucem aspiciat semper Sol, Luna per umbras:
Sæpe tamen partus cognatæ & funera gentis
Vicina aut sub idem plerumq; cadentia tempus
Ostendunt liquidò bisseis partibus anni
Fata ciere datum taleisq; inducere casus.
An verò domus ulla rei præsentius unquam
Fecerit indicium; quàm nunc facit aurea regum
Progenies, regum, Septem subjecta Trioni
Dania quos meritis virtutum & fortibus armis

K

Insignes



CARMEN DE MENSE OCTOBRI.

Insignes veneratur ovans, & nomine tanto
Adversum imperij famam protendit ad axem :
Tu mihi Ranzovidum decus Holsatæq; perennis
Nobilitatis honos Henrice & carminis hujus
Autor ab antiquis deprome & dicit fastis.

Quippe ferè October mensis vim mortis & horam
Supremam genitis hac stirpe heroibus affert
Implens Arctoum luctuq; & fletibus orbem.

Vera loquor, nec, quæ loquor, ulla redarguet ætas,
Si modò venturos manet hæc quoq; cura nepotes.

Nam quos non populos ? quas non pervenit ad urbes
Annæ jampridem de funere nuncius, Annæ,
Quæ germana fuit Friderici regis & uxor
Principis Augusti, dignissima fratre virôq;
Fœmina, dum sanctas heroidas inter habere
Prima locum meruit rara virtute, pudicis
Moribus & magno veræ pietatis amore ?
Olli, quas Titan sex astra decemq; paragrans
Respicit, Octobres lucem eripuerunt Calendæ.

Ecce autem duras nimium tristeq; Calendas,
His Annæ patruus lustro antè annôq;, Iohannes
Occiderat, Dux Holsatis justissimus agris,
Dux placidus, metnensq; Dei, nutritius almæ
Christiadum & docta versantis in arte catervæ,
Exemplumq; decens actæ sine conjuge vitæ.
Occidit his nuper Iohannis frater Adolphus,
Occidit atq; suo triplicavit morte dolorem.

Et dubitant homines statura credere jura dierum ?
O rigidi mores ! o ferrea corda ! quis illud
Spreverit imperium, quod non evasit Adolphus
Ditmarsæ domitor gentis, fortissimus heros,
Quem Mavors etiam sumtis trepidabat in armis
Hesperia sacrum belli arte ipsiq; Britannis ?
O funeste dies ! habuit te Roma nefastum,
Proinde Ducum propter tot funera nunc quoq; Cimbris

Anna filia
Christiani III.
Augusti Ele-
ctoris vxor
moritur I.
Octobr. An-
no 1586.

Ioannes Dux
Holsatiæ obi-
it I. Octobris
Anno 1580.

Adolphus
Dux Holsa-
tiæ I. Octob.
Anno 1587.

Ater

CARMEN DE MENSE OCTOBRI.

Ater eris, signo sempérq; notaberis atro.

Sed quid ego hic autem solas incuso Calendas?

Sunt hujus mensis plures de solibus æquè

Ferales iisdémq; notis & crimine digni.

Qui producit enim medias quasi Lucifer Idus,

Dux Megales-poleos, Princeps carissime Musis

Vdalrice, tori sociam tibi protinus ortu

Quarto illo & decimo post letum fratris Adolphi

Helisaben rapuit, decus admirabile sexus

Et generis secliq; sui. nam filia regis

Danorum, primi Friderici, in prælia traxit

Virtutum matres generosas, dote nec ulla

Reginis cessit, quas aurea condidit ætas.

Cujus ego ad laudes si quicquam adjungere tendam,

Arboribus frondes & messibus addere spicas,

Oceano fluctus videar, nova sidera cælo.

Surgit enim tantæ virtutis gloria, surgit

Viribus ipsa suis. & jam doctissima vatuum

Musa Chytræorum, mellitâq; Suada Caselâ

Hanc famam è cultis Varni prodire rosetis

Aonidumq; jubent latè volitare per hortos.

Quin prole in Sophia præfulget imago parentis

Helisabes, Sophia, Danis modò regia conjux

Quæ viget, ac regi Friderico ut Iuno secundo

Nupta secunda Iovi pietatis lumine regnum

Ornat & ingenio mensuram nominis implet.

Quam te ergo memorem, tantæ lux conscia cladis?

Romulidis fueras lux intercisa: ne fastam

Herulidæ Cimbrîq; ferent, & semper acerbam

Inclÿta te Pietas animosâq; Pallas habebunt.

Et vos o Nonæ, dictas qui laberis Idus

Octiduo antè dies, fastus quondam urbe Quirini,

Vos quoq; nil mirum si Cimbria dixerit atras

Iampridem ac nigro signarit mœsta lapillo.

Nam prope jam quartum terna ad quinquennia mensem

K 2

Ille

Dorothea
Magni Saxoniae
Ducis filia, uxor
Christiani
III. Regis
Daniae 7
Octob: Anno
1572.

Fridericus
Dux Holsat:
Episcopus
Hildeshemē-
sis & Slesvi-
censis, Coa-
djutor Bre-
mensis 18
Octobris An-
no. 1574.

Anna filia
Friderici. I.
21. Novemb:
Anno 76.

CARMEN DE MENSE OCTOBRI.

Ille oculus mundi Sol & fons temporis addit,
Ex quo dos superum vestro regina sub ortu
Dorothea exstincta est, animi matrona virilis,
Saxoniaeque Ducum sidus, socia optima regis,
Faustum qui tenuit Christi de nomine nomen
Tertius, & tanta Friderico ex matre creato,
Virtutum heredem regni, reliquit ab Arcto
Quem vehit admisis tardari nescia pennis
Gloria per latum, quacumque habitat is, orbem.

Sed neque tu nobis ter none indictus abibis
Hoc in mense dies, quem non victoria ludis
Ipsa suis, non conventu lux candida servat,
Quin atri hac culpa titulos & signa reportes.
Qualis enim medio florens hyacinthus in ortu
Falce resectus obit, blandumque exspirat honorem:
Sic olim moritur, dum tu jubar aethere tollis,
Hildeshemiensis Fridericus Episcopus oris,
Frater Iohannis, generosi frater Adolphi
Helisabesque, suo juvenum pulcherrimus aeo.
Certa fides dictis, & qui videt omnia, Phaebo
Ante oculos res est, quamvis emensus ab illo
Tempore ter decies sua signa peregerit annum.

Quas ergo October tam parte infestus ab omni
Funereo toties contristas lumine sedes,
Hisne ego fatalem merito te dixero mensem
Cimbrorum fastis dignum carbone notari?

Ac tuus is frater nono appellatus ab imbri,
Quando tuis fati aequalia fata ministrat,
Nonne tuis signis aequalia signa meretur?

Bis terris adeo quinquennis olympias acta
Transit alterius pleno anno in tempora lustris;
Ex quo mense sub hoc geminae periere sorores,
Fata decem tantum spacio dirimente dierum.
Nam quae post Idus Eos octava relucet,
Friderici natam regis primi abstulit Annam:

AST

CARMEN DE MENSE OCTOBRI.

As³ binos quæ Luciferos præmittit eisdem
Idibus, hæc Annæ germanam funere merfit
Dorotheam, divum quæ dotatissima donis
Heroïna, Ducis Pharadenum fidæq³ conjux
Christophori moriens animam tibi, Christe, sed urbi
Gustroviæ cineres, & famam credidit orbi.

Sed quid opus totum collecta referre per ævum
Nomina? & antiquum verbis renovare dolorem?
Sufficit hæc series. quod si quem evolvere porro
Cimbrorum annales juvat & primordia gentis,
Multos prætereà poterit cognoscere reges
Mensibus his dulci defunctos munere vitæ.

Qui certas igitur vires & jura diebus
Detrahis, aut nimia præ religionem meatus
Observare poli quæsitum oracula terris
Stulticiam esse putas pietate fidæq³, beatos
Quæ facit, indignam, vel qui mera somnia credis
Præstigiâsq³, leves alto præsagia cælo
Ingenijs hominum deducta, monentibus astris:
Nonne vides, ut te veri experientia falsum
Arguat, ut sanæ penitus rationis egentem?

Tot rerum tantæq³ vices, quas sidera mundo
Portendunt, vatum ad prædicta prioribus annis
Eventus habuere suos, usq³ magistro,
Discimus his ipsi, discet venientibus annis
Sedula posteritas, quod in infera quæq³ perennis
Imperij fatale gerant supera omnia sceptrum.

Ac (ne mutato divertar in avia cursu)
Illud ad exempli lucem, certisq³ probandum
Nostra exorsa notis faciet, quod scansilis annus
Septenni ille gradu pariter paritéq³, novenni
Consurgens, annisq³ tribus quinquennia vitæ
Bisena excedens raro superatur ab illis
Regibus (ut constat) Comitum de gente vetusta
Oldenburga domus quos non sine numine seclum

Ejusdem anni
11. die No-
vembris Do-
rothea Annæ
soror, Chri-
stophori Dus-
cis Megapo-
lensis conjux.

CARMEN DE MENSE OCTOBRI.

Ante unum & menses triginta ac insuper octo
Misit in Arctoum Frisiorum à finibus orbem.

Christianus I
Rex Daniæ
regnavit an-
nos 34 vi-
xit 56.

Horum primus enim dictus de nomine Christi
Christiades animi præstans & corporis heros
Triginta postquam regnarat quatuor annos,
Per septena moræ vestigia climacterem
Octavum ingressus superas concedit ad arces,
Et nato sceptrum tradit regniq; coronam.

Iohan: Rex
Daniæ vixit
annos 58 re-
gnavit 32.

Is verò, auspicijs cælo in dulgente, Iohannis
Nomen & omen habens famoso à margine Balthes
Ad mare Hyperboreum, Normannum ab littoris ora
Occidua stagnum fines extendit ad album,
Tergeminog; sacros cinxit diademate crines.
Nec tamen erectas supra contingere metas
Nec rigidas potuit fatorum evincere leges.
Cessit enim vita, terrenaq; sceptrâ relinquens
Vt patris ætatem binis superaverat annis,
Sic patris imperio totidem superatur in annos.

Fridericus I,
rex Daniæ
vixit annos
56 regna: 10.

Hunc sequitur frater, Friderici nomine primus,
Quartus in imperio, denos quod rexerat annos,
Cum patri æquævus vitam exhalavit in auras.

Christiā: III
rex Daniæ vi-
xit annos 56
regnavit 22.

Quintus item regni, sed Christi nominis hæres
Tertius, ambiguum magis an pietate vel armis
Egregius, studijs Astrææ an amore Minervæ,
Bis simul undenos revolutis mensibus orbes
Imperio explevit, per inevitabile mortis
Tendit iter cælo, & quem nomine reddidit, usu
Lucis avum moriens & tempore funeris æquat.

Iohan: Dux
Holsatiæ vi-
xit annos 60,
menses 8.
Anna soror
Frid II. Reg:
Daniæ vixit
52 annos.

Deinde hujus fratrem natumq; duasq; sorores
Mors quoq; præscriptos intra occupat improba fines.
Nam Dux Holsata senior sub gente Iohannes
Sexaginta annos & menses viderat octo
Compleri, leto cum lumina solveret: Anna
Principis Augusti conjux post dena secundo
Lustra obit Autumnno: post sex septennia quinto

Dorothea

CARMEN DE MENSE OCTOBRI.

Dorothea abscessu Lunæ, Ducis inclyta consors
Christophori Meglaburgiada: finem inde sub ipsum
Adventans, positóq; pedem pro limine figens
Helisabe, Vlrici socia illa ter optima vitam
Reddidit hac ipsa, qua vitam acceperat, hora.

Quid verò censes? fieri num talia casu?
Aut nulla dicis ratione? nec ordine certo
Hæc eventa unum toties servare tenorem?
Aufer opinatus animi tam futilis, aufer
Ignavas voces. annorum tempora vires
Ætheris insinuant terris, magnosq; vigoris
Conversa efficiunt humano in corpore motus,
Vitalésq; faces gignunt genitásq; resolvunt.
Hinc, quibus est series & origo sanguinis una,
Par fortuna ferè, par meta modúsq; laborum
Hos manet, ac simili fato traducitur ævum.

Non tamen idcirco tam verum hoc vertitor omen
In consanguineos, affinia fata vereri
Vt quisquam instituat, vel non superabile tempus
Definire suæ cognato ex funere vitæ.
Error is á vera procul est ratione repulsus,
Imperiúm; Dei propriúm; evertit honorem.
Astra movent animos, movet orbita temporis artus
Semina nunc vitæ miscens, nunc semina leti:
Attamen ipse suo frænat. Deus utrâq; nutu,
Et, quocunq; libet, flexis inclinat habenis.
Sicut enim certis naturæ agit omnia metis
Ac medijs, cæco ferri mortalia casu
Nec sinit, aut dubiæ versari turbine sortis:
Sic libertatem pronúm; tuetur agendi
Per caussas, præter caussas contrâq; secundas
Arbitrium, & magno fatorum claustra coercens
Numine, si visum est, & fert ita corde voluntas,
Aut pietatis honos, ad vota precésq; suorum
Sistit equos solis, mediósq; dehiscere fluctus

Dorothea fi-
lia Frid. I. vi-
xit annos 42.
menses 7. Eli-
zabetha filia
Friderici I.
uxor Vdalri-
ci Megopol.
mater Sophie
Reginæ Da-
niæ vixit an-
nos 62.

Man-

CARMEN DE MENSE OCTOBRI.

Mandat & in gemini faciem consistere montis,
Horarúmque retrò subigens vestigia multos
Decursum ætatis spacium producit in annos.

Hoc equidem sensu cælum indagamus & astra,
Hoc sensu infusas vireis variabilis anni
Partibus asserimus verbis, usúque probamus:
Non quòd naturam, quo sit primùm illa creatæ
Fædere, sic in eo sit perdurare necessum,
Et sic sorte data cursus lustrare perenneis
Immotam, ut nihil hic fati avulsa voluntas
Consiliúmque Dei mutare, inhibere, cedere,
Nec validas ævi valeat rescindere leges.

Et quia certa tenet nostram fiducia mentem
Fata pijs votis vertiq; regiq; vocatus
Accipiente Deo, passis ad sidera palmis,
Christe, tuum numen fatali hoc cardine rerum
Poscimus ac gemitu multo lacrymisque rogamus:
Tu prohibeto minas, tristeisque avertito casus,
Tu placidus servato pijs. tege sanguine natum
Iam dicto regem Fridericum, qui gregis altor
Defensorque tui supremus in orbe Boreo
Vindicat Eynomiæ cultus, virtutis honorem
Vindicat, & vitæ rectrices excolit artes.

Orna hoc Christe caput, rerúmque in culmine florens
Conjuge cum Sophia generosa & prole reserva.

Vt vigiles mundi Sol & soror addita Luna
Circùm luce sua lustrant versatile templum
Sideribus varijs stellisque micantis olympi:
Sic Fridericus opes Danorum & regia conjux
Majestate sua decorant, totúmque nitore
Augustæ sobolis reddunt venerabile regnum.
Hæc facies animos in se convertit & ora
Gentis Christiadum, quaquæ est ea sparsa sub Arcion.
Atque adeò spes est, Friderico sospite, nunquam
Res fidei lapsas mundi hac regione timendum.

Sive

CARMEN DE MENSE OCTOBRI.

*Sive ergo Octobri regem, seu mense Novembri,
Aut alio quovis expectat terminus ævi
Humani (ut nemo mortali semine cretus
Funeris est expers, nec leti lege solutus)
Quamvis invidet terris hunc regia cæli,
Serius eripiat terris hunc regia cæli,
Cum longè fatum cursûsq; ætatis avitæ
Vicerit, & natos salva cum conjuge salvos
Salvus & ipse videns Pylios æquaverit annos.*

ELEGIA

AD MAGNIFICVM ET VE-
rè nobilem Dominum, Dn. Henricum Ran-
zovium Serenissimi Danorum regis
vicarium &c.

NEstor & alter Atlas Henrice, Vicarie Da-
Regis & Holsatæ nobilitatis apex; (nùm
Post semel emeritis elapsum cursibus annum
Extremum mensis tertius urget iter:
Ex quo fatalis signa vi carmine mensis,
Nomen ab octavo qui gerit imbre, dies.
Id tibi nostra sui specimen tri-viale laboris
Ausa fuit paucis Musa dicare modis.
Hos nunc illa dolens, hos, ah, gemebunda retexit
Temporibus filo conveniente suis.

L

Tunc

ELEGIA AD HENRICVM RANZOVIUM.

Tunc superabat enim pius & ter maximus heros,
Solamen luctus qui, Fridericus, erat.
Is jam spe citius mortis fera spicula sensit,
Nostráq; precipites vota tulere Noti.
Optabamus enim, longos superesset ut annos
Sol velut Arctoæ fulgidus ille plagæ.
Sed nimis hunc terris invidit regia cæli,
Eripuitq; suis (prô dolor) ante diem.
Ac non sat firmo nequâ fundamine nitari,
Dum probo Cimbrorû fata propinqua Ducum:
Hoc quoq; mors nostris pondus grave versibus af-
Majorem voto conciliâtq; fidem. (fert,
Nec Fridericus enim metam rex contigit & vi,
Quam reges Cimbro vix superare fero.
Lustris namq; decem jungebat quatuor annos,
Lucida cum subiens astra reliquit humum.
Adde, quòd Octobri, mensisq; prioris in ipso
Fine capit morbi semina prima sui.
Ergo meis numeris cum vis sua sic quoq; constet,
Hos iterum fidei mando sacróq; tuæ.
Est humilis, fateor, tantisq; paratibus impar
Nænia, nec tumulis tot bene digna Ducum.
Hinc

ELEGIA AD HENRICVM RANZOVIVM.

*Hinc, nisi mens fallit, morémq; licentia mutat
Censuræ subdens non sua scripta sua:
Ridiculus multis ululàm memorabor Athenas,
Qui mittam Musis carmen inane tuis.
Sed memorer. mihi Ranzovio parere decorum,
Quicquid Aristarchi linea damnet, erit.
Tu modò Mæcenæ animum ne sperne clientis,
Qui cupit ad nutum qualibet ire tuum.
Tempora sic videas cum conjuge læta senectæ,
Nec desit membris ingenióq; vigor.
Sic tua progenies cognatáq; Ranzoviorum
Christiade vigeat sospite rege domus.*

*T. Magnif. officiosè colens
Christoph. Silvius Hamburg.*

ELEGIA ALIA DE MENSE
Octobri, quód is familiæ Regū Daniæ
plerúmque sit fatalis.

*O*ctober mensis calamo signabitur atro:
Sæpius hic etenim tristia fata tulit.
Quæ quia disparibus numeris comprehendere conor,
His clemens cœptis annue Christe meis.

L 3

Omne

ELEGIA DE MENSE OCTOBRI.

Omne licet tempus mortales eximat orbe,
Ac nulli mortis nota sit hora viro:
Ni DEVS omnipotens motus bonitate paterna,
Hanc monstret famulis calitus ipse suis.
Testatur liquido tamen experientia rerum,
Non unum cunctis mensibus esse statum.
Regibus hic nec non ducibus fatalior illo est,
Existens luctus fons & origo gravis.
Quis negat, Octobrem fatalem regibus esse
Frugiferae Daniae qui pia sceptrum tenent.
Namque dies secum, quos dixeris esse nocivos
Magnatum propter funera mœsta, trahit.
Primus in hoc quam sit tristis, fatalis, acerbus,
Quam secum casus traxerit ipse graves,
Novit Saxoniae Electoris masculus Hæres,
Ob matris mortem passus acerba sua.
Regis erat Daniae soror hæc, cui secula nostra
Non similem studio religionis habent.
Holsatia testatur idem nunc undique luctus,
Quem patitur propter fata inopina Ducis.
In Quo certarunt pietas, clementia, candor,
Iustitiae studium nobile, pacis amor.

Anna con-
iux Augusti
Electoris Sa-
xonie Friede-
rici II. Regis
Daniae soror,
mortua est
primo Octo-
bris.

Quod

ELEGIA DE MENSE OCTOBRI.

Quòd talis fuerit, quem nunc lugemus, Adolphus,

Sana cui mens est, nemo negare potest.

Proximus hoc in mense dies memorabilis æque

Est obitu factus fratris, Adolphe, tui.

Quem non dissimili, quo nunc se conficit orba

Holsatiæ, luctu, terra secuta fuit.

Nam quoq; dignus erat, quem sic lugeret ademptū,

Luctus nil quamvis utilitatis habet.

Septimus hoc in mense dies signetur eadem

Luctibus & lacrymis conveniente nota.

Est quia fatalis, Dania ceu regia novit,

Ex obitu Dominae reddita mæsta sua.

Reginae puto, quæ propter pietatis amorem,

Dorothea à summi munere dicta DEI est.

In felix etiam, dum tristia fata revolvo,

A decimo quartus noscitur esse dies.

Hoc etenim Regis Friderici filia primi

Causa novi luctus, Elisabetha, fuit.

Dum sua mortali naturæ debita solvit,

Occubuitq; velut falce resecta seges.

Insuper Octobri plures ac mense Novembri

In Dania Reges occubuisse, liquet.

Adolphus
Dux Holsatiæ
Friderici I. fi-
lius mortuus
primo Octo-
bris

Ioannes Dux
Holsatiæ, Fri-
derici I. filius
obiit 2. Octo-
bris.

Dorothea
Christiani III
vxor, mortua
7. Octobris.

Elisabetha,
filia Friderici
I, vxor Vdal-
rici principis
Megapolensis,
periit 14. Oct:
die & hora
quibus nata
fuerat.

ELEGIA DE MENSE OCTOBRI.

Dorothea
Frid. I. filia,
Christoph.
Ducis Megalopol.
conjux
perijt ii. Novemb.

Sic & Reginas: quibus annumeranda videtur

Dorothea hoc regum sanguine creta pio:

Quæ fuit undecima sublata hinc luce Novēbris,

Christophoriq; Ducis nupta pudica fuit,

Quem Dominū agnoscit præclara Megapolis ora

Officiōq; sibi conveniente colit.

Sed reliquas omnes nimis & pertexere longum

Ponenda est Elegis certāq; meta meis.

Tu pie Christe pium Daniæ defendito Regem,

Ac omnes magna pro pietate suos.

Incepit morbus Serenissimi Regis Daniæ
FRIDERICI secundi tertio Octobris in
prædio Neugardt, & quanquam aliquo mo-
do denuò convaluit, tamen ex eo tempore
nunquam pristinae valetudini est restitutus,
sed tandem in arce Anderschouu 4. Aprilis
annum agens enneaticum quinquagesimum
quartum, cum regnasset annos viginti novem
obiit. Ex quibus, vt & superioribus versibus,
patet, congruere hujus Sereniss: Regis mor-
tem, ætatem & annos gubernationis ferè cum
prædecessorum suorum Illustrissimæ
& piæ memoriæ annis.

Notet hîc candidus lector
σφάλμα μνημονικόν
*unum atq; alterum festinando
commissum.*

C. 2. pag. 1. versu 14. post hæc verba, Petrus Muncke, addatur: Dominus
in Estuadgarde.

D. 3. pag. 2. versu 16. & deinceps, ita legatur: unà cum conjugibus
(Dorothea videlicet nata ex familia Brandenburgica, filia Iohannis
Marchionis, & Dorothea nata ex Magno Duce Saxonie & Vuestphalie)
resurrectionem &c



SEQVUNTUR QVÆDAM EPI-
taphia beatæ memoriæ Frid: II. scripta, quæ,
opere jam confecto, ad manus Typographi pri-
mum pervenerunt. Prudens lector, ubi
inserenda sint, dijudicabit.

DIVO FRIDERICO II. CHR. F.

FRID. N. CHRISTIAN. PRONEP.

REGI

DANIÆ, NORVEGIÆ, GOTHIÆ, VVANDALIÆ,

DVCI

SLESVICI, HOLSATIÆ, VVAGRIÆ,

STORMARIÆ, DITHMARSIAE, &c.

COMITI

OLDENBURGI ET DELMENHORSTÆ, &c.

EVROPAE LVMINI,

REIPUBLICÆ CHRISTIANÆ COLVMINI:

POST IMMORTALIA BELLI, PACISQVE

OPERA, DOMI FORISQVE

INSIGNI CVM LAVDE

CONFECTA:

SVMMI REGIS IMPERIO,

E REGNI MORTALIS STATIONE,

AD COELESTE REGNV M IMMORTALE

EVOCATO,

ANNO PVB. SAL. CIO CI XIIC. PRID.

NON. APRIL. ÆTATIS LIII.

M. IIX. D. IV.

MAGNO PATRIÆ CVM INCOMMODO,

BONORVM OMNIVM INCREDIBILI CVM LVCTV,

PRINCIPI OPTIMO MAXIMO

P. M. M. P.

M

Paci

EPITAPHIA FRIDERICI II.

PAcis eras Friderice bonus, bonus Arbiter
Belli: te mundi personat omne latus. (vnu)
Pax &terna beat te jam, Rex optime, cælo:
Nulla salus bello: pacis alumna salus.

N. Reusnerus.

Divo Friderico II. Regi Daniæ

Anagrammata.

Fridericus Secundus

ἀναγραμματισμένος.

SINCERVS Friderice FIDE quò perpete
DVRES,

Ac populos vera prosperitate bees:

Ipsè FIDE CVRRENS, per tot discrimina re-

Integrũ regni VIS DECVS esse tui. (rum,

Publica res curæ, simul est ecclesia sancta:

Imperio simul hæc floret, & illa tuo.

Tot FIDVS CVRIS, Re quò pia cœpta

SECVNDES:

Perstet & ut fidei laus super orbe sacræ:

Sponte DECVS CVRSV DE RE, Rex

maxime, tanta

FINIS, & nato lampada tradis ovans.

Tot

EPITAPHIA FRIDERICI II.

Tot. CVRIS DECVS ergo FERENS REX
DIVE beatis

Æternum cœli lucida regna colis:
Regibus immixtus sanctis, regiꝝ propinquus
Christo, jam fidei præmia digna capis.
O fidei vis magna? FIDE CRESCENS
homo Verè

DIVVS, & est hæres, post sua fata, DEI.
Aliter.

Fidus REX patriæ curis Fridericus: at orbos
Tu FIDVS CVRIS nos modo CERNE
(DEVS.

N. Reusnerus.

DEO

Trino & uni, opt: max: gentis humanæ crea-
tori, sospitatori & sequestro sacrum.

ET æiternæ memoriæ, gloriosissimi, for-
tissimi & Relligiosissimi principis, D.
Friderici II. Daniæ, Norvegiæ, Gotho-
rum, Wandalorúmꝝ Regis: Qui sui seculi
M 2 Monarchas

EPITAPHIA FRIDERICI II.

Monarchas, Relligione in Deum, sinceritate erga confœderatos, virtute & justitia adversus cunctos antecelluit, Christianam Rempub: constantissimè asseruit: cujus in bello magnanimitas, in pace fides culta fuit:

E I

Reipub: commodo, nato: ejusdem gravissimæ jacturæ denato, postquam LIV. annos fœlicissimè exegisset, terramq; cælo: IV. Aprilis, anno vltimi seculi *CIO IO* *XIIC*. Anderschoviæ commutasset. Roschildiæ juxta mausolæū Augustissimi Herois, Christiani III. patris, sito, Daniel Rogerius serenissimæ Heroinæ Dæ. Elisabethæ, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Reginæ in Daniam Legatus, hoc mortale immortalis observantiæ monumentum, Musarum cælo sculptum
Mœstis: pos.

EPITAPH-

EPITAPHIA FRIDERICI II.
EPITAPHIVM.

Non Euphrate & tumulo conduntur arena,
Quem tu viator conspicias:

Non auri precio superantes pondera gemma,
Quibus superbit India:

Pondera nec thuris, nec grata Opobalsama, leto
Qua gignit Ægyptus solo.

Omnibus at longè sunt hæc potiora metallis,
Gazæq; vincunt Persicas.

Dania quicquid habet, vel habent Cimbriq; Go-
Tempèq; & Alpes Norici (thiq;

Augustum, excellens, votis optabile, charum,
Servatur alto hoc marmore.

Nam cineres hæc tumba tegit sacrata Monar-
Inter Monarchas principis: (chæ,

Cujus vix similem præsens hæc viderat ætas,
Ventura vel dabit dies:

Quin tellus decus acceptum fœcunda refundet
Illustre, florens, vividum:

Ut solis vincat puro candore nitorem,
Et astra vincat cætera.

M 3

Scilicet

EPITAPHIA FRIDERICI II.

Scilicet hoc summi quondam domus inclyta Jovæ
Latet sepulchro condita.

Hos igitur pia posteritas reverenter habeto
Cineres humati principis.

Sic cælo Mens: ossa solo suscepta quiescent:
Vigebit & fama jubar:

DANIA donec erit, virtus, & nomen honesti:
I livor, hinc nil auferes.

DIES ET ANNVS
OBITVS.

AprILLIs petIIIt FrIDerICVs syDera
(qVarto,

Et nostro heV LVctVs CaVsa fIt

(ILLE soLo.

Christianus Macchabeus

Alpinas F.



Epigramma

Epigramma

IN SACELLVM RANZO-
vianum Friderico II. Danorum Regi & c.

Segebergæ positum.

Hoc Henricus ego tibi, Rex Friderice, sacellum

Ranzovius sumptu condo sacroq; meo.

Ut faciam, non me movet ostentatio, suadet

Unicus ille bono principe dignus honos.

Talis enim rex noster eras, ea gloria qualem

Postulat, haud alius nempe parente bono.

Ergo tui placidè cultoris suscipe pignus:

Sic tua sit virtus nescia nocte premi.

Quisquis adis autem fanū; prece numen adora,

Idq; pio similes pectore posce Duces.

C. S. H.





HAMBURGI

EX OFFICINA JACOBI
WOLFII.

Anno M. D. XIIC.



AB: 754664

ULB Halle

3

003 010 643



SR

JA 2006

VD 17






I. D. C. O.
W. C. O.
L. S. C. O.
L. S. C. O.

15





5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
1000

8
7
6
5
4
3
2
1
0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
1000

Inches
Centimetres
B.I.G.
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

W

Descriptio

POMPAE FV-
NEBRIS HABITAE RODT-
schildij in exequijs Serenissimi ac Poten-
tissimi Domini, D. FRIDERICI II. Daniae,
Norvegiae, Gothorum, Wandalo-
rumq; Regis &c. unà cum Epita-
phijs nonnullis in obitum
ejusdem.

★
His Adjecta sunt

DESCRIPTIO SACELLI PROPE MONASTE-
rium Segebergense in memoriam perpetuam prænominatæ Se-
reniss: Regiæ Majest: & emolumentum pauperum Segebergen-
sium ab HENRICO RANZOVIO, Regio per Holsatiã &c.
Vicario proprijs expensis extructi, unà cum marmorum la-
pidumq; ejusdem inscriptionibus ac Epigrammatibus
tam interioribus quàm exterioribus.

Nec non Epicedia quaedam FRIDERICI RANZOVII
ac CATHARINÆ RANZOVIÆ dicti Regij Guberna-
toris liberorum.

HAMBURGI

Excudebat Jacobus Wolfius.

Anno M. D. XIIC.